



37
25 R
24

SYNODUS
DIOECESANA

AB ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO

PAULLO-ANTONIO
AGOSTINI ZAMPEROLI

PATRITIO CALLIENSI

EPISCOPO URBANIAE ET SANCTI ANGELI IN VADO

SOLEMNITER CELEBRATA

IN CATHEDRALI ECCLESIA S. CHRISTOPHORI MARTYRIS
URBANIAE DIEBUS 16. 17. 18. MAII
ANNI MDCCXC.




PIO VI. P. O. M.





FULGINIAE 1790.

Apud Joannem Tomassini Impressorem Episcop.
Superiorum facultate.






SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PIO VI.

PONT. OPT. MAX.

PAULLUS-ANTONIUS AGOSTINI ZAMPEROLI EPISCOPUS URBANIAE ET S. ANGELI IN VADO.



Nihil in Ecclesia antiquius, quam ut ad Summum Romanum Pontificem referrent Episcopi quae pro suis instituendis, dirigendisque Gregibus constituerint: quod quidem ita sibi faciendum esse persuasum habebant Majores nostri, ut Cyrillus Alexandrinus Episcopus ad Coelestinum Pon-

tificem scribens (*) asserere non dubitaverit, *silere, neque* (eum) *de omnibus, quae moventur, certiorem facere, citra culpam, ac sinistrae suspicionis metum* vix esse posse. *Optimum siquidem, ac valde congruentissimum visum semper fuit* Sardicensis Concilii Patrum testimonio (**), *si ad Caput, idest ad Petri Apostoli Sedem de singulis quibusque Provinciis* ecclesiastica deferantur negocia, atque inde certa hauriantur Oracula, unde juxta Cyprianum (***) *& Episcoporum ordinatio, & Ecclesiae ratio decurrit*. En igitur, BEATISSIME PATER, quae fuit potissimum caussa, cur Dioecesanam hanc Synodum Sacri Nominis Tui Majestati inscriptam, dicatamque esse voluerim: Quod si id meae in TE, sanctissimamque Cathedram Tuam religioni debere sentiebam, sperabam etiam, quod jandiu vehementer optaveram, fore, ut aliquod SANCTITATI TUAE pro collatis in me beneficiis grati animi argumentum praeberem. Atque utinam sicut in hisce conscribendis Constitutionibus nullam non diligentiam adhibui, ut ad instaurandam in Dioecesibus meis ecclesiasticam disciplinam, & ad augendum Christianae


(*) Epist. 8. num. 1. ad Coelestin.
(**) Nicolaus I. epist. ad Episcopos Galliae apud Labbè tom. 2.
(***) S. Cyprianus epist. 27. Lapsis.

pietatis cultum accomodatae prodirent; ita confidere possim, metam quoquomodo attigisse, eaeque haud videantur indignae, quae summo, ac plane divino judicio Tuo comprobentur. Illud interim a SANCTITATE TUA, qua maxima possum, & qua certe debeo, animi contentione expostulo, ut, quicquid in ipsas minus probandum ex mea defluxerit imbecillitate, corrigas, emendes, deleas; *Decrevi enim* in meo *Synodali Conventu*, ut S. Bonifacii utar verbis (****), *subjectionem Romanae Ecclesiae fine tenus vitae meae velle servare; S. Petro, & Vicario ejus velle subjici*. Caeterum cum probe intelligam, illarum vim, firmitatemque in Tua maxime esse tutela, hanc & votis opto, & humillimis exoro precibus, ratus, dubitandum profecto non esse, quin ab universo mihi concredito eo Grege majore tum accipiantur obsequio, tum custodiantur studio, ac conatu, quo splendidiore piissimi Principis, sapientissimique Pontificis patrocinio suffulcientur. Restat, BEATISSIME PATER, ut Deus Opt. Max., cujus ineffabili sane factum est consilio, ut in difficillimis quibusque temporibus strenuissimos habuerit Romana Ecclesia Pontifices, TE, quem virtutum om-

(****) S. Bonifacius epist. 105. ad Cutbert. Archiepiscop. apud Labbè tom. 8.

nium coelitus munitum praesidio in tanta rerum, morumque, in qua versamur, perturbatione, ad Petri regendam Navem summa providentia constituit, Christianae Reipublicae saluti, ac bono incolumem diutissime servet, quod dum SANCTITATI TUAE ferventissimo animi ardore ominor, provolutus in genua Sanctissimos osculor Pedes, mihique, ac Gregi meo, ut Apostolicam impertiri digneris Benedictionem, suppliciter precor.

INDICTIO SYNODI.



PAULLUS -- ANTONIUS
AGOSTINI ZAMPEROLI

Patricius Calliensis, Dei & Apostolicae Sedis Gratia Episcopus Urbaniensis & Vadensis.

Dioecesanae Synodi celebrationem inter praecipuas Episcopalis Officii, quo Deo sic disponente fungimur, partes a Sacris Canonibus recensitam serius, quam voluissemus, multis de caussis protractam, Divina tandem favente gratia ad Omnipotentis Dei gloriam, sub Virginis Deiparae, Sanctorumque Michaelis Arcangeli, &Christophori Martyris Patrocinio, pro die 16. Maii, quae erit Dominica infra Octavam Ascensionis D. N. J. C., inchoandam indicimus, & publicamus.

Omnibus igitur, & singulis Dignitatibus, Canonicis, Parochis, Presbyteris, & Clericis tum in Majoribus Ordinibus, tum in Minoribus constitutis, atque sola etiam Tonsura initiatis, omnibus quoque tam Saecularibus Clericis, quam Regularibus, qui quovis jure, aut consuetudine Nostrae interesse Synodo debent, in virtute Sanctae Obedientiae, & sub poenis Sacrorum Canonum jure statutis, aliisque arbitrio Nostro irrogandis praecipimus, & expresse mandamus, ut dicta die in Cathedralem Ecclesiam Nostram summo mane conveniant, quae statuenda, decernendaque in Domino censebimus, unanimes audituri.

Adsint autem tum praefinita superius die, tum duabus sequentibus in eadem Ecclesia singuli nominatim suo tempore, & loco vocandi, talari semper induti veste, atque etiam superpelliceo, & bireto, vel propriis insignibus Ordini, Dignitatique congruentibus. Parochi vero superpelliceo apposita rubei coloris stola; neque eorum quisquam ab Ecclesia, durante Synodi celebritate, discedere, nec per tres illas dies se a Civitate, Nobis inconsultis, subducere sub poenis iisdem praesumat.

Monitos interea volumus fideles universos Pastorali Nostrae creditos Curae, maximi rem esse momenti, quam sumus acturi, eosque in Domino Jesu obsecramus, ut a Patre luminum Nobis exorent sedium suarum assistricem sapientiam, qua duce ad divinam augendam gloriam, atque ad certam animarum procurandam utilitatem, & studia quaelibet Nostra, & Nostras omnes comparemus Constitutiones. Quod ut dignetur Dominus Nobis pro sua pietate concedere, idque facilius multorum impetrent preces, praecipimus, ut a Dominica in Albis usque ad diem Synodi addatur a Sacerdotibus in singulis Missis Collecta de Spiritu Sancto, & in Cathedrali Ecclesia, aeque ac in Collegiatis, & Parochialibus, festis quibusque diebus incipiendo a dicta Dominica, post Conventualem, sive Parochialem Missam, Litaniae Sanctorum cum suis precibus recitentur.

Parochi tandem suis nuntiabunt populis ex Brevi Sanctissimi Domini Nostri PII. PP. VI. fel. regn. Dat. Romae sub die 12. Decembris elapsi Anni 1789., omnes utriusque sexus Christifideles vere poenitentes, & confessos, ac sacra Communione refectos, qui Nostram Cathedralem Ecclesiam

die, qua Synodus inchoabitur, ac in omnibus, & singulis actualis illius celebrationis diebus devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum pace, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel omnium peccatorum suorum indulgentiam fore consecuturos.

Hae vero Nostrae Indictionis Synodi Litterae ad Cathedralis Ecclesiae Nostrae, & omnium Parochialium valvas affixae, & publicatae, prout affigi, & publicari mandamus, universos, ac singulos, quorum interest, perinde afficere volumus, ac si unicuique eorum essent personaliter exhibitae, atque intimatae.

Datum Urbaniae ex Episcopali Nostro Palatio hac Die 6. Februarii 1790.

Paullus-Antonius Episc. Urbaniae
& S. Angeli in Vado.

Laurenti us Maria Guerra Secretarius.

OFFICIALES SYNODI

Assistentes Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Episcopo in Synodalibus Sessionibus.

D. Franciscus Leonardi J. U., & S. T. D. Protonotarius Aposto- Praepositus, & Prima dignitas.
D. Franciscus Zucchi Archidiaconus, & Secunda Dignitas.
D. Antonius Papi Archipresbyter, & Tertia Dignitas.

Judices Quaerelarum, & Excusationum.

D. Jacobus Druda Patricius Calliensis J. U. D. S. T. L. Protonotarius Apostolicus Vicarius Generalis.
D. Caesar de Rubeis Canonicus Decanus.
D. Antonius Ghighi Ecclesiae Cathedralis Canonicus.
D. Nicolaus Angeloni Ecclesiae Cathedralis Canonicus.

Promotor Synodi.

D. Canonicus Theologus Angelus Bartolini S. T. L.

Secretarius Synodi.

D. Augustinus Figueredo J. U. D. Canonicus Poenitentiarius.

Coadjutores Secretarii, & Synodalium Constitutionum Lectores.

D. Stephanus Porfirj
D. Franciscus Peri } Ex Collegio Mansionariorum.
D. Aloysius Mastini in V. Urb. Sem. Hum. Lit. Praeceptor.

Praefecti Disciplinae Synodalis, & Punctatores absentium.

D. Antonius Zucchi Primocerius, & Quarta Dignitas.
D. Julius Caesar Leonardi Ecclesiae Cathedralis Canonicus.
D. Antonius Raffaelli Ecclesiae Cathedralis Canonicus.
D. Josephus Papi Ecclesiae Cathedralis Canonicus.

Confessarii Cleri.

D. Georgeus Marquez.
D. Joannes Farinha.
P. Joseph Cameroni ex Cler. Reg. Min. Sanctissimi Crucifixi Praepositus.
P. Franciscus Principi ex Ord. Min. Conven., Guardianus Conventus S. Francisci Urbaniae.
P. Franciscus Dionisi Ord. Min. Conven., Guardianus Conventus Mercatelli.
P. Lucas ab Insula Fani ex Ord. Min. Refor., Guardianus Conventus S. Joannis Baptistae.

Magistri Caeremoniarum.

D. Laurentius Maria Guerra Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Episcopi a Secretis.
D. Aloysius Mordioni Episcopalium Caeremoniarum Praefectus.
D. Jacobus Gostoli V. Urb. Sem. Oeconomus.
D. Antoninus Franceschi Sacerdos.

Cantores.

D. Josephus Albertini.
D. Joannes Franceschi.
D. Dominicus Marchionni. Ex Collegio Mansionariorum.
D. Cajetanus Magnanelli.

Ostiarii.

D. Aloysius Crescentini Subdiaconus, & in V. Urb. Sem. Praefectus.
Clericus Joseph Gasparini.
Clericus Marianus Muscinelli.
Clericus Aloysius Leonardi.

Testes ad Acta Synodalia.

D. Comes Emilianus Matterozzi Brancaleoni Sacerdos.
D. Comes Vincentius Marsili Sacerdos.

Notarius Synodi.

Franciscus Maria Scardacchj Cancellarius Episcopalis.

Coadjutor.

Dominicus Scardacchj.



ALLOCUTIO

Habita ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino Episcopo ad Clerum Universum ante Synodum.

Tandem aliquando, Venerabiles Fratres, Dilectissimi Filii optata, Nobis illuxit dies, qua vos hic in unum aspiceremus collectos, totamque fere creditam Nobis familiam veluti in conspectu haberemus. Benedictus sit Deus, & Pater D. N. J. C., Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis (a), qui ea, quae praeveniendo jam Nobis aspiraverat vota, benigno etiam favore prosequi dignatus est. Ab ipso sane Nostri Episcopatus exordio Sacri Tridentini Concilii animo praecepta tenentes in eam venimus cogitationem, ut Dioecesanam quamprimum cogeremus Synodum, qua, vel novis opportune conditis legibus, vel antiquis in consuetudinem revocatis, & abusus, si qui in Clerum, populumque irrepsissent, tollerentur, & recta morum disciplina firmius, solidiusque statueretur. Intelleximus siquidem, in tanta rerum, morumque, in qua miseris hisce temporibus versamur, perturbatione, Nobis, quos in vinea sua Custodes Dominus posuit, impositam esse necessitatem, sepibus eam, aggeribusque vallare. Sed quum diuturnae primum, quibus Nos Deus visitavit, terraemotuum calamitates a suscepto consilio ad alias, easque gravissimas evocaverint curas, mox diu, multumque in ipso haerere debuimus, ne quid ageremus praepropere, neve unquam aut minus digestum, aut minus accomodatum, aut tanta hac celebritate minus aliquid dignum exhiberemus. Jam vero post universam tertio lustratam Dioecesim, post agnitas oves, moresque solerter investigatos, post saepe effusas in conspectu Domini preces, ac lacrymas, quae Deo Auctore ad Ejus gloriam, ad Animarum salutem, ad Cleri, populique Nostri institutionem, ac disciplinam pertractanda, decernendaque cognovimus, Deo ipso adjuvante in Synodalem hanc lucem nunc demum evulganda profecimus.

(a) 2. Corinth 1. v. 3.

En igitur Synodales Nostrae Constitutiones, en tenenda Disciplinae Ecclesiasticae ratio, en tota tum Officiorum, tum actionum vestrarum norma, quae omnia tantae molis esse intelligitis, quantae est, ut corruptelae eripiantur, ut aberrantes in viam revocentur salutis, ut pietas, religio, sanctitas ipsa in Clero universo florescat. Quorsum enim studia haec Nostra, quorsum suscepti labores, nisi ad eum plane finem contendant? Scimus profecto, Decessores Nostros pene omnes, in hoc suam strenue navasse operam, nec splendida desunt pastoralis ipsorum solicitudinis argumenta. Ea tamen est naturae humanae imbecillitas, ut nisi novis in dies legibus, quasi optimis, atque opportunis adjumentis fulciatur, a recta vivendi semita facile homines deflectant, sensimque in vitia rapiantur. Quid? Nonne ipsa saepe experientia docuit, quosdam, qui aut efficaci aliqua animadversione commoti, aut divinae iracundiae flagellis perterrefacti salutis fuerant ingressi viam, ad vitiorum diverticula non multo post profluxisse? Quod si, qui alios continere in officio debent, a debiti muneris cura declinent, vix dici potest, quot, quamque graves Christianae Reipublicae importentur calamitates. Rem sane luctuosam, & gemitibus deflendam inenarrabilibus, *quando eos Deus, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit, quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus* (b)! Hinc Sacerdotalis Ordinis dignitas pro nihilo habita, hinc contemta a populis salutis monita, hinc longe, lateque diffusa scandala, hinc fides ipsa, proh dolor! hinc ipsa fides debilitata, ac languescens. Nihil Venerabiles Fratres, dilectissimi Filii, nihil, quod a vero absit, commemoramus, nihil, quod vel non ante vestros versatum sit oculos, vel certum jam, compertumque vos ipsi non habeatis. Quantae porro necessitatis sit sanctissimarum Legum auctoritate, ac vi, mala isthaec gravissima propulsare, nemo non sentit. Ad ea quoque accedit aetas haec Nostra perturbatissima, & hominum undique plena, *qui habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes* (c) *dissensiones, & offendicula praeter doctrinam, quam didicerunt, faciunt* (d). Neque haec ita a Nobis abest per-

(b) S. Gregorius M. de Offic. seu Cura Pastoral.
(c) 2. Timoth. 3. v. 5. (d) Rom. 16. v. 17.

nicies, ut de Dioecesi etiam Nostra non sit timendum. *Serpit ut Cancer eorum sermo* (*e*), occultasque pertentans vias in has quoque Regiones, nisi summa animi contentione occurratur, suum facile poterit diffundere virus. Tot inter rerum discrimina, tot inter succrescentia semina peccatorum, quorum sola commovet christianum animum recordatio, otiosos nos esse inspectores, desidesque Operarios vetat Episcopalis Officii munus; Vetat illa, quam habere debemus, Ecclesiae Dei diligentia; vetat expectatio populorum, qui in cura Nostra conquiescentes, ex Nostro Synodali hoc Conventu, & ingruentibus malis remedia, & apta ad salutem subsidia consecuturos se esse confidunt; Ipse tandem vetat Æternus Pontifex Noster secundum Ordinem Melchisedech Christus, *qui dedit semetipsum pro Nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum* (*f*). Quamobrem etsi in hisce conscribendis Sanctionibus vel aliquid elaborasse videamur, haud tamen in sola earum promulgatione omnes explevisse Nostri muneris partes, existimamus. Restat adhuc, quod summum est, omnemque Nostram exposcit solicitudinem, restat, quod Deo, quod Dioecesi, quod Vobis ipsis debemus, ut scilicet urgeamus viriliter executionem, quae nisi cum Decretorum constitutione conjuncta sit, certum est Nostros omnes irritos fore labores, inanesque conatus. Hoc ergo propositum Nobis erit, ac firmiter deliberatum, non curam, non studium, non ullam praetermittere diligentiam, ut opus, quod coepimus, perficiamus. Quod quidem, quum sit exploratum, non minus a vestra obedientia, quam a Nostra vigilantia pendere, vos, vos ipsos, Venerabiles Fratres, Dilectissimi Filii, vestramque obtestamur religionem, ac fidem, *exhortantes, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* (*g*), neque tantum externa quaedam, quae oculis offensionem in vulgus praebent, sed traditis institutionibus intimo animi sensu inhaerentes, totam vitae rationem emendare studeatis. Quid enim Nobis, aut Ecclesiae Nostrae accidere tristius posset, quam vel non integre custoditas, vel, quod pejus esset, spretas,

(*e*) 2. Timoth. 2. v. 17.
(*f*) Tit. 2. v. 14.
(*g*) 2. Corinth. 6. v. 1.

neglectasque videre leges, quarum auctoritate, ac praesidio exturbatos abusus, correctos mores, disciplinam in tuto positam, gratulari debuissemus? Aut quae speranda esset salus aegrotis, qui praesens rejicerent, aptumque morbo remedium? Haec Nos cogitatio conturbat, haec animum nostrum angit potissimum cura. *Confidimus tamen de vobis meliora, & viciniora saluti* (*h*), nec spem falli nostram sinet clementissimus Deus, cujus afflante gratia, ut, quae agenda snnt, cognoscetis, sic promptam, paratamque sententiis ad obediendum voluntatem. Quare agite, Venerabiles Fratres, dilectissimi Filii, inclinate aures vestras in verba oris Nostri (i), eaque veluti demissā e Coelo vocem suscipite. Legatione pro Christo fungentes (*k*) non quae nostra sunt quaerimus, sed quae Jesu Christi (l); animas porro vestras pretioso Christi redemptas Sanguine quaerimus. Huc monita, huc leges, huc Nostrae spectant Constitutiones, quas quo humiliore accipietis animo, & vehementiori studio executuros Vos esse, sperandum est. De re maximi ponderis agitur; agitur enim de vestra salute, ad quam per debita munerum vestrorum officia quasi vos manuducere enitimur. Fingere laborem in praeceptis (*m*), quod impiorum, ac disciplinam abhorrentium est hominum, quis in hac spectatissima Ministrorum Christi frequentia volet? Quis pravarum consuetudinum vetustatem, ut novas refugiat leges opponet? Quis vitio vertet adhibitam Sacrorum Canonum severitatem? Nos certe ob oculos in Synodali tota hac tractatione nihil esse habendum existimavimus, nisi D. O. M. gloriam, Ecclesiae Nostrae utilitatem, ac commoda, perpetuamque animarum fidei Nostrae concreditarum felicitatem. Arrideat Nostris misericorditer votis ipse *Deus pacis, & aptet Vos in omni bono, ut faciatis Ejus voluntatem, faciens in vobis, quod placeat coram se per Jesum Christum, cui est gloria in Saecula Saeculorum. Amen* (*n*).

(*h*) Hebr. 6. v. 9.
(*i*) Psal. 77. v. 1.
(*k*) 2. Corinth. 5. v. 20.
(*l*) Philip. 2. v. 21.
(*m*) Psal. 93. v. 20.
(*n*) Hebr. 13. v. 21.

IMPRIMATUR SI VIDEBITUR &c.

Justinianus Poggius Archipresbyter Ecclesiae Cathed. & Pro-Vicarius Generalis.



IMPRIMATUR.

Fr. Ludovicus Civini Ordinis Praedicat. S. T. M. Vicarius S. Officii Fulginiae.

INDEX TITULORUM

QUI

TRIBUS CONSTITUTIONIBUS CONTINENTUR.



SESSIO PRIMA

De Fide, morumque doctrina.

SESSIO SECUNDA

De personis.

SESSIO TERTIA.

De Rebus, Locisque Sacris, ac Piis.




IN NOMINE
SANCTISSIMAE,
ATQUE
INDIVIDUAE TRINITATIS
PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI



NOS PAULLUS-ANTONIUS AGOSTINI ZAMPEROLI
PATRICIUS CALLIENSIS
DEI, ET S. SEDIS APOSTOLICAE GRATIA EPISCOPUS
URBANIAE, ET S. ANGELI IN VADO.

Ad Omnipotentis Dei Gloriam, & Beatissimae Virginis Dei Genetricis Mariae, Sanctorumque Patronorum Nostrorum Michaelis Arcangeli, & Christophori Martyris honorem, ac laudem, ea, qua fungimur sive ordinaria, sive delegata Auctoritate, pro Pastoralis Nostri Officii munere haec, quae sequuntur, in prima hac Nostra Dioecesana Synodo legitime congregata, matura praemissa deliberatione, statuimus, decernimus, & publicamus.



SESSIO PRIMA.

De Fide, morumque doctrina.

TITULUS I.

De Sacrosancta Fide, ejusque professione.



I. Quod semper majoribus nostris solemne fuit, ac sanctum, ut Sacra nempe Comitia a Fidei professione exordirentur (*a*), illud initio Synodi hujusce Nostrae omnino servari volumus, ut *in quo*, Apostolo teste, *omnis aedificatio constructa crescit* (*b*) firmissimum in angulari eo lapide Nostrae Sanctiones sortiantur sibi tutamen, ac fundamentum. *Corde igitur*, ut Paullus docet (*c*) *ad justitiam credentes*, *ore autem ad salutem confiteamur* Sanctissimam Orthodoxam Fidem, quam

(*a*) Bened. XIV. de Syn. Dioec. lib. 5. c. 2. n. 4.
(*b*) Ephes. 2. 21.
(*c*) Rom. 10. 10.

methodo, ac forma a Pio IV. P. M. praescripta (*d*) Nobis ipsis praeeuntibus quotquot in unum hic sunt collecti, publice, solemniterque profitebuntur.

II. Ad hanc Fidei professionem juxta formulam supradictam extra Synodum emittendam in manibus Nostris, sive Vicarii Nostri Generalis teneri sub poenis a S. Tridentino Concilio (*e*) statutis sciant I. omnes, qui Dignitates, & Canonicatus tam in Ecclesia Nostra Cathedrali, quam in Collegiatis obtinebunt intra duos menses a die possessionis adeptae, nec tantum in manibus Nostris, vel Vicarii Nostri Generalis, sed etiam coram Capitulo. II. Omnes, qui alia quaecumque consequentur Beneficia, cum, vel sine cura animarum pariter intra duos menses. III. Omnes ad Confessiones etiam Monialium audiendas primo adprobati, Regularibus non exceptis. IV. Novi omnes Concionatores etiam ex Ordinibus Regularibus assumpti. V. Omnes, qui publice, vel privatim Philosophiam, Theologiam, Jus Canonicum, aut Civile, atque etiam Grammaticam docebunt. VI. Medicinam, aut Chyrurgiam exercentes. VII. Tandem Vicarius Noster Generalis, Vicarii omnes Foranei, Cancellarius Episcopalis, coeterique Curiae Nostrae Ministri, antequam suum quisque aggrediatur officium (*f*). Id praeterea omnibus supradictis mandantes, ut per se ipsos, nunquam vero per Procuratorem huic satisfaciant obligationi.

III. Ut autem in re tam gravi nulla unquam fraus obrepere possit, aut negligentia, in Cancellaria Nostra liber asservabitur, in quo tum eorum, qui Fidei emiserunt professionem, tum Testium nomina describentur.

(*d*) Pius IV. Const. *Injunctum nobis*. Vid. Append. n. 1.

(*e*) Trid. Sess. 24. de Reform. c. 12.

(*f*) Conc. Rom. sub Bened. XIII. tit. 1. c. 1. Syn. Bajardi p. 1. c. 2.

TITULUS II.

De Christiana tradenda Doctrina.

I. Cum juxta Apostolum *Fides sit ex auditu* (*g*), necesse hinc est, ut, qui Fidei Catholicae rudimentis sunt imbuendi, vocem audiant docentis. Meminerint igitur Parochi, strictissimo se jure teneri, creditum sibi gregem ea omnia edocere, quae scire cuique necessarium est ad salutem, sive haec de necessitate sint, ut ajunt, medii, sive de necessitate praecepti. Quapropter festis quibusque diebus, praesertim Dominicis (*h*), pueros, puellasque, hora juxta locorum consuetudinem constituta, campanulae signo ad Ecclesiam advocent, iisque confluentibus hanc servent, quam omnino praescribimus, methodum (*i*).

II. Antequam Cathechesi detur initium, dumque pueri congregantur, ut vanis oblocutionibus tollatur occasio, vel Sacrum aliquem praestabit legere librum, vel cantiunculas praecinere spirituales. Maribus inde a foeminis semper distinctis, suisque locis dispositis, Parocho, seu Sacerdote alio praeeunte, vernacula lingua recitabunt omnes signum Sanctae Crucis, Mysteria Sanctissimae Trinitatis, & Incarnationis, Symbolum Apostolorum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Praecepta Decalogi, Praecepta Ecclesiae, ac septem Sacramenta. Mox cunctis sedentibus incipiet Cathechesis, in qua modo interrogans Parochus, modo respondens, Christianae Religionis Mysteria, Praeceptaque, quantum fieri potest, clare, distincte, accurateque explicabit, illud in primis retinens mente, ut *frangat parvulis panem* (*k*),

(*g*) Rom. 10. 17.
(*h*) Conc. Trid Sess. 24. de Ref. c. 4. Bened. XIV. Encycl. *Etsi minime* 7. Febr. 1742. Idem Encycl. *Ubi primum*. Lit. Sac. Cong Ep. & Reg. 12. Mart. 1732. Syn. Bajardi de Doctr Christ. c 7.
(*i*) Syn. Ancon. Card. Buffalini 1779. Syn. Bajardi loc. cit
(*k*) Tren. 4. 4.

nec lapidem pro pane porrigat (*l*). Cathechesi interim opportuna inseret salutis monita audientium captui accomodata, qua tandem per integram saltem horam producta, omnibus provolutis in genua, recitatisque, Parocho ipso praeintonante, Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis actibus, quos tamen immediate sive ante, sive post Parochialem Missam recitari, maxime semper expediet (*m*), discedent, aeque ac supra innuimus, a foeminis Mares sejuncti.

III. Habeant penes se Rectores Animarum universi Cathechismum Parochorum S. Tridentini Concilii jussu editum, quo praecipue utantur, ut apte, luculenterque populum sibi commissum doceant. Ad pueros autem, rudesque homines in Fidei doctrina erudiendos, alia quacumque interdicta, aut praxim adhibeant ad rudiorum institutionem accomodatam, & in fine Appendicis expositam, aut traditam a Cardinali Bellarmino, quam Clemens VIII. sua probavit auctoritate, quamque doctissimus Pontifex Benedictus XIV. Episcopis omnibus summopere commendatam voluit (*n*).

IV. Sciant interim Parochi per S. Concilii Congregationem nullam sibi excusationem dari, ne diebus quidem impeditis, Cathechesis intermittendae (*o*), hincque, ne unquam desides in tanti momenti negocio sint, praeter Divini judicii interminationem, quam in omnium memoriam redigimus, Episcopi Fabretti Synodale Decretum renovantes, (*p*) eos, qui Christianam tradere doctrinam singulis praesertim Dominicis diebus neglexerint, pro qualibet vice unius aurei poena multandos esse statuimus, durius etiam cum ip-

(*l*) Matth. 7. 9.
(*m*) Bened. XIV. cit. Encyl. *Et si minime*. Syn. Bajardi loc. cit.
(*n*) Bened. XIV. sup. relat.
(*o*) S. C. C. in Hortan. 8. & 29. August. 1744. ad 5.
(*p*) Syn. Fabretti c. 7. §. *Catholicae Fidei*. Syn. Bajardi de Doctr. Christ. c. 7. §. *Caveant*.

sis acturi, si gravior fuerit, aut pertinacior negligentia.

V. Ut autem non puerorum tantum, verum etiam adultorum instructioni prospiciant, quos non raro pueris ipsis imperitiores in iis, quae Christianum hominem necesse est scire, compertum est inveniri, tempore toto Quadragesimali bis saltem in hebdomada Paraeciarum omnium Rectores, suas ad Ecclesiam convocent oves, illasque singulas diligenti probent examine, (q) Paschalis Communionis schedulam omnino negaturi Christianae Doctrinae insciis, iisque omnibus, quos sine legitima caussa annuale hoc refugere experimentum cognoverint. Pari itidem subjiciant examini proxime desponsandos (r), quos nolumus ad contrahendum Matrimonium admitti, nisi per suas prius litteras jurejurando obfirmatas de eorum sufficienti in Fidei rudimentis peritia certum Nobis, sive Nostrae Cancellariae testimonium reddiderint.

VI. Monitos hic volumus Parentes, Heros, Curatores, caeterosque omnes, quibus aliorum, & puerorum praesertim demandata est custodia, quantalibet Parochorum diligentia, sua ipsos non eximi instruendi sibi subditos obligatione. Fidem negasse sciant, Apostolo teste, & esse infidelibus deteriores (s) si hanc suorum, & maxime domesticorum curam non habeant, nec sacramentalis absolutionis beneficio donari posse, si per duos integros menses sibi quomodocumque subditos ad Christianam addiscendam doctrinam mittere neglexerint (t). Optimum interim erit consilium, si Parochi puerorum, puellarumque sua-

---

(q) S. Car. Borom. instruc. Euch. tit. *Qui ad Sacr. Comm.* §. *Nec vero*. Syn. Urb. ult. de S. Euch. §. 4. Syn. Bajardi p. 2. c. 4. § *Quamquam*.

(r) Syn. Bajardi p. 1. c. 7. §. *Ad Sacramenta* Syn. Feretrana ann. 1734. tit. 17. c. 4.

(s) 1. ad Timoth. 5. 8.

(t) Vide inferius de Casib. Ep. reservat. sess. 3. Tit. 8.

rum conficiant cathalogum, quo eos, qui assidue, eosque, qui raro conveniunt advertentes facilius, laudando alteros, alteros opportune arguendo, trahere cunctos ad Cathechesim satagant, rationem stricte reddituri, si qui sint adhuc contumaces, nec illos Nobis, eorumque Majores denuntient.

VII. Sacerdotes praeterea hortamur omnes, atque per viscera misericordiae Dei nostri enixe precamur, ut memores conditionis suae, susceptique per Sacrum Ordinem edocendi populos muneris in tanto, tamque Sancto opere Parochis praesto esse velint (*u*). Idque Clericis pro Ecclesia, cui sunt adscripti, omnino praecipimus, certa nunc data fide, neque hos ad majores Ordines, nec illos ad Confessiones audiendas, & ad Beneficia, quaecumque sint, admissum iri, nisi assiduam, exactissimamque in hoc diligentiam Parochi ipsi testimonio suo comprobaverint.

VIII. Ne vero rusticani praesertim homines ad Sacrum audiendum alio, quam ad Parochialem Ecclesiam, divertant, & ita Pastoris sui praetermittant audire vocem, quod indignum esse, atque absonum a mente Ecclesiae, innuere Parochi pro viribus satagent; in ruralibus quibuscumque Oratoriis, Cappellis, atque Ecclesiis Missae interdicimus celebrationem, nondum Parochiali absoluta (*x*). Mandantes insuper Sacerdotibus cunctis sive Saecularibus, sive Regularibus, qui diebus festis in dictis Ecclesiis celebrare tenentur, ut Christianae Doctrinae summam adstanti populo tradant, & ea recitent omnia, quae a Parochis recitanda esse superius numero II. prae-

---

(*u*) Cap. *ignorantia* dist. 38. Cap. *quisque* 3 de vit. & honest. Cleric. Trident. sess. 13. de Reform. c. 14. Edict. Urbis jussu Clem. XI. 13. Sept. 1713. Syn. Barusii tit. 2. §. *Clerici*. Syn. Castelli c. 3. Syn. Bajardi p. 1. c. 7. §. *Parochis*.

(*x*) Bened. XIV. de Syn. Dioeces. l. 7. c. 70. n. 7. Ejusdem Encycl. *Etsi minime* §. *At vero*. Syn. Hortan. 1756. Syn. Civit. Castell. 1766. Syn. Bajardi loc. cit. §. *ne unquam*.

scripsimus (*y*). Ludimagistris quoque, piisque Faeminis, quae Scholas habent, juxta Concilii Lateranensis Decreta (*z*) districte praecipimus, ut discipulos, puellasque, quas instituunt, singulis saltem hebdomadis Fidei instruant rudimentis, poenam aliter unius aurei pro qualibet transgressione daturi (*aa*).

IX. Praedecessorum tandem nostrorum Barusii, & Castellii inhaerentes vestigiis, ne ulla unquam Sacrae Cathechesi perturbationis occasio detur, eo, quo fit, tempore ludos omnes prohibemus etiam honestos, spectacula cujuscumque sint generis, confabulationesque in plateis, cauponis, aut aliis vicinis Ecclesiae locis, atque omnia haec sub poena aureorum quinque piis usibus applicandorum, quam juxta contravenientium qualitatem, ac contumaciam arbitrio Nostro reservamus augendam (*bb*).

TITULUS III.

De Sacra Divini Verbi praedicatione.

I. *Pascite qui in vobis est, gregem Dei* (*a*), quod monet Apostolus Petrus, quum primo Episcopis dictum Sancti Patres uno ore consentiant, tum deinde sibi praeceptum esse Animarum Curatores intelligant, qui secundi Ordinis sunt Pastores, & in partem vocati sollicitudinis Episcopalis. Pascere igitur curent, verbis utimur Tridentini (*b*), *Plebes sibi commissas pro sua, & eorum capacitate salutaribus ver-*

(*y*) Conc. Rom. tit. 1. c. 5. Bened. XIV. cit Encyl. Syn. Anconit. 1739. tit. 5. Syn. Bajardi loc. cit. §. *Si autem*.

(*z*) Concil. Later. sub Leon. X. sess. 9. c. 7.

(*aa*) Syn. Civit. Castell. loc. cit. Syn. Tuscul. 1763. de Christ. Doctr. n. 4.

(*bb*) Cap. in Relig. dist. 3. in Consec. Syn. Barusii tit. 2. §. *Ne hujusmodi*. Syn. Castellii c. 3.

(*a*) 1. Petr. 5 2.

(*b*) Trid. sess. 5. c. 2.

bis..... annuntiando eis cum brevitate, & facilitate sermonis vitia, quae eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere, & coelestem gloriam consequi valeant. Id autem ut assequantur, Dominicis, & festis diebus singulis post lectum in Missa Evangelium, sermonem ad populum habeant, in quo Sacra eloquia, & aeternae salutis monita vernacula lingua explanent (*c*). Neque sibi suadeant fore, ut suo satisfaciant muneri, si pravam sequuti quorumdam consuetudinem, Christianae doctrinae instructionem cum Evangelii explanatione confundant; alterum enim ab altero sejungendum est opere, utrumque tamen adimplendum (*d*). Qui secus egerit, quinque juliorum poenam absque spe veniae subibit; dupli, atque etiam suspensionis juxta Synodalem Episcopi Fabretti sanctionem, si per tres vices immediate sequentes negligentia duraverit. Si vero per tres menses suo huic deerit muneri, Tridentini inhaerentes Decretis cum eo gravissime agemus (*e*).

II. Parochialibus argumentum praebeat concionibus Evangelicus textus, indeque ad mores hominum corrigendos, componendosque documenta trahantur. In id autem Animarum Cultores praecipue intendant, ut quaestiones devitent (*f*), sublimitatem sermonis fugiant, & in ostensione spiritus, & virtutis (*g*) ea loquantur, quae decent sanam doctrinam (*h*) audientium intellectui accommodatam. Festivos praeterea, & jejuniorum dies indicere non praetermittant. Plura

(*c*) Trid. sess. 24. de Reform. c. 7. S. C. C. in Hortana 8. Augusti 1744. ad 4.

(*d*) Bened. XIV. Encycl. cit. *Etsi minime*. Innoc. XIII. apud Bened. XIV. notif. tom. 1. Notif. 10. n. 3. S. C. C. in supracit. Hortana ad 5.

(*e*) Syn. Fabretti c. 7. §. *Si vero*. Trident. sess. 5. de Refor. c. 2.

(*f*) 1. Timoth. 2. 23.

(*g*) 1. Corinth. 2. 4.

(*h*) Tit. n. 1.

tam de hoc dicendi genere, quam de Christiana doctrina cum alias locuti simus (i), ut ea meminisse velint, Parochos omnes in Domino hortamur. Hoc unum addere hic juvat, quod nempe frequenter orandi commendent studium, & orationis, quam vocant, mentalis modum, ac rationem auditores suos doceant, quod quidem Benedictus PP. XIV., magno etiam proposito Indulgentiarum proemio, Apostolicis litteris (k) suadendum esse sancivit. Caveant igitur, ne desidia sua perdant animarum lucra, caveant, ne suis sermonibus sint quasi aerem verberantes (l), & illud toto animo, totisque viribus curent, ut fructum afferant, fructusque firmiter maneat.

III. Praeter animarum Rectores, quibus praedicandi onus plebi sibi commissae in suis Ecclesiis incumbit, nemini omnino fas erit, nisi potestate a Nobis facta, in Civitate, aut Dioecesi nec privatim, nec publice concionari, vel orationes quascumque sive panegiricas, sive etiam emortuales habere (n). Regulares in Ordinum suorum Ecclesiis a propriis Superioribus praedicandi facultate donati, Nostram petere debebunt Benedictionem: Nullimode tamen praedicare poterunt Nobis contradicentibus, & gravissimas Censurarum luent, si secus fecerint, poenas (o). In aliis quibuscumque Ecclesiis Sacerdotes omnes sive Saeculares, sive Regulares concionaturi Nostram Ecclesiarum Rectoribus exhibere teneantur licentiam scripto exaratam, qua destitutos sub poenis arbitrio Nostro infligendis ad praedicandum admitti prohibemus (p). Sciant interim

(i) Vid. Epistol. Pastoral. ad Paroch. 15. April. 1783.
(k) Bened. XIV. Encycl. *Quemadmodum* 16. Decembr. 1746.
(l) 1. Corinth. 9. 26.
(m) Joann. 15. 16.
(n) Conc. Trid sess. 5. de Ref. c. 2.
(o) Trid. loc. cit. Greg. XV. Const. *Inscrutabili*. Clem. X. Const. *Superna* §. 3.
(p) S. C. C. in Theanen. 19. Joan. 1728 ad 3. Syn. Bajardi

Dioecesis Nostrae universae Concionatores, ipsos, si opportunum videbitur, aut coram nobis, aut coram Vicario Nostro Generali, nulla in contrarium consuetudine obstante, esse subituros examen (*q*).

IV. Pro Christo legatione fungentes (*r*) Christi bonus odor sint Deo (*s*) in locis, ad quae divertunt, seseque animarum saluti non temporalis stipendii lucro inhiare ostendant. Memoria teneant, quae Ven. Innocentius XI. Sacris Concionatoribus monita voluit (*t*), quaeque hic Nos observanda proponimus, antequam ministerium adgrediantur, Vicariis Foraneis, vel Ecclesiarum Rectoribus suggerentibus, attente legant. Audiant denique, figantque in animo gravissima, quae subjunginius, Magni Gregorii verba (*u*): *Cum libentius illa vox auditorum cor penetret, quam dicentis vita commendat, illi, quibus administratio verbi commissa est, metiri sollicite studeant, quanta tenendae rectitudinis necessitate constringuntur, quia qua necessitate exiguntur summa dicere, eadem necessitate compelluntur summa monstrare. Sint ergo cogitatione mundi, corde humiles, spiritu fervidi, actione praecipui, in silentio discreti, in verbo utiles, in sermone breves, ac in omnibus praebeant seipsos exemplum bonorum operum, ut non vituperetur ministerium verbi, quod acceperunt a Domino Jesu.*

V. Conciones nullo unquam nocturno tempore fiant, nec Nobis inconsultis, audeant Concionatores aut Indulgentias indicere, aut pauperes commendare fidelium pietati familias. Absentibus Nobis, a Vicariis Nostris Generalibus, sive a Vicariis Foraneis ve-

---

p. 1. c. 5. §. *Cum vero*.

(*q*) S. C. C. In Ugentina 22. Januar. 1628. Syn. Barusii tit. 4. §. *In Ecclesiis*. Syn. Civit. Castell. 1766. act. 1. c. 2. n. 14.

(*r*) 2. Corinth. 5. 20.

(*s*) 2. Corinth. 2. 15.

(*t*) Litt. Encycl. S. C. C. jussu Innoc. XI. 6. Jun. 1680.

(*u*) Div. Greg. M. p. 2. Pastoral. c. 1. & 13.

niam obtinere teneantur (*x*), Virtutes praedicent omnes, charitatemque in primis virtutum Reginam; eleemosinas tamen commendent, non extorqueant. Quidquid collectum erit, ad Ordinarium spectat pro arbitrio suo distribuere (*y*). Dum conciones habentur, sedeant faeminae a viris prorsus sejunctae, sileat quicumque in Ecclesia, sive prope eam strepitus, cessent ludi, negotiationes, mercatus, artificumque officinae sub poena unius aurei penitus occludantur, ne tabernis quidem, & cauponis exceptis, quas alienigenis tantum patere permittimus (*z*).

VI. Praedecessorum exemplo haec ideo praecipimus, ut fideles curae nostrae concrediti nullo abstrahantur negocio, nullo impedimento detineantur, quin ad audiendum Dei verbum confluant. Divino pronuntiatum est oraculo (*aa*) ex Deo non esse, qui verbum Dei non audiunt. Eos igitur vehementer, totoque cordis affectu obsecramus, ut in id intendentes animum, quod unum est necessarium, posthabitis per horam saecularibus curis ad audiendam vocem sermonum Dei alacres, frequentesque conveniant. Prae caeteris autem Clericis Nostris, Sacerdotibusque id commendamus, qui cum in sortem Domini vocati sint, nihil praeter Dominum curare debent (*bb*). Quod si per vicos, & plateas vagari magis libuerit, quam Sacris adesse concionibus, quid de ipsis sentiamus, occasione data monstrabimus. Quoad vero utriusque Nostrae

(*x*) Conc. Prov. Mediol. 1. de Praedic. §. *Neminem* 3. Syn. Barusii tit. 4. Syn. Castellii c. 4. Syn. Fabretti c. 9. Syn. Bajardi loc. sup. cit.

(*y*) Cap. Sacerdotes de consecr. dist. 1. S. Pius V. Const. 5. §. 4. Syn. Barusii, Castellii, & Bajardi loc. cit. Syn. Fabretti c. 9. & ejus Edict. in fine.

(*z*) Cap. *Custos* de Offic. Custod., ubi Gloss. v. *absente* S. C. C. Dep. in Casalen. 1. April. 1708. ad 26. Syn. Civit. Castell. 1766. act. 1. c. 2. n. 19. Syn. Bajardi p. 1. c. 5. §. *Cum vero*.

(*aa*) Joann. 8. 47.

(*bb*) S. Ambros. de fuga Saecul. c. 2.

Cathedralis Ecclesiae, atque etiam Collegiatarum Canonicos, qui, cum caeteros honore antecellant, caeteris quoque exemplo bonorum operum tenentur praeire, quod centies a Sacris Congregationibus responsum fuit (*cc*), ipsis praecipimus, ut scilicet tam Quadragesimalibus, quam Sacri Adventus concionibus, Chorali habitu induti quotidie intersint.

VII. Quamquam Concionatorum electio, seu deputatio ad solum spectet Episcopum (*dd*), iis nihilominus omnibus, qui facultatem praesentandi Nobis Concionatorem sibi vindicarunt huc usque, sartam tectam relinquimus, ea tamen adjecta lege, ut nominatio mature fiat, & pro Adventu ante Festum omnium Sanctorum, pro Quadragesima ante Epiphaniam Curiae Nostrae denuntietur (*ee*), alias enim nulla erit, nec ullo pacto nominatio attendenda. Quod aeque dictum sciant, si verbis utantur, quae electionem, deputationem, seu declarationem significent, cum ea patentibus tantum litteris Nostris conveniant, quibus & sui muniendi sunt Concionatores, nec ipsi aliam adhibere queant formam, quam simplicis nominationis, & praesentationis indicativam (*ff*).

(*cc*) S. C. Episcoporum 20. Maii 1580., & 20. Aug. 1602. ap. Nicol. in Flosc. V. Canonicus n. 33. S. C. C. in Nicen. 1620., & in Milevit. Synodi 9. April. 1607. ad 1. in Ripan. Visit. Sacr. Lim. 16. Mart. 1709. ad 7. in Verulan. 1719. ad. 3. S. C. partic. dep. Fulginat. Synodi 18. Jul. 1723. ad 6. Petra ad Constr. Apostolic. tom. 3. pag. 258. n. 16. 18. Pignatell. tom. 4. Consult. 206. n. 61. Crispin. Visit. Pastor. p. 2. §. 21. n. 40. Ferrar. verb. Episcopus art. 6. n. 9. Monacell. p. 3. tit. 2. Form. 7. n. 3. Syn. Anagn. Bas. p. 8. n. 8. Syn. Fulgin Baptistel. c. 3. n. 17. Syn. Feretr. 1734. tit. 2. c. 3. Syn. Civit. Castelli 1766. c. 2. n. 23. Syn. Auxim. 1778. c. 6. Syn. Fabretti c. 9. §. *Ecclesiastici*. Syn. Bajardi c. 5. §. *Non est hic*.

(*dd*) Pignatell. tom. 4. cons. 206. n. 50. 54. 55.

(*ee*) Syn. Barusii tit. 4. §. *Cum munus*. Syn. Castellii c. 4. §. *Tempore*. Syn. Fabretti c. 9. §. *Communitates*. Syn. Bajardi c. 5. §. *Cum aliquibus*.

(*ff*) Syn. Bajardi loc. cit.

TITULUS IV.

De Sacra Scriptura, ejusque lectione.

I. A verbo Dei tradito operae pretium est sermonem convertere ad verbum Dei scriptum, unde spes omnis, & omne in nos solatium Apostolo teste (*a*) dimanat. *Sint ergo Divinae Scripturae* Clericorum *semper in manibus, & jugiter in mente volvantur* (*b*). Parochi autem in primis *eas frequentissime legant, indeque discant, quod doceant, ut possint exhortari in doctrina sana* (*c*). Nullus porro unus sit, qui Sacros tum veteris, tum novi Testamenti non habeat penes se Codices, quibus si carere aliquem Pastoralis occasione Visitationis scrutati libros noverimus, nisi justam afferat excusationem paupertas, quotam pecuniam in eos comparandos expendisset, tantidem arbitrio Nostro multabimus (*d*). Quod vero ad caeteros attinet Sacerdotes, & Clericos, videant, ne Religionis destituti Codicibus, a quocumque Religionis ministerio tamquam necessariis non muniti praesidiis jure, meritoque arceantur.

II. Ut magnus ille coelestis doctrinae thesaurus summa liberalitate divinitus hominibus datus, quo Sacrae redundant litterae, Christiano populo pateat, Tridentini Patres sanctissimo statuere consilio, non solum in Cathedralibus, verum etiam in Collegiatis, aliisque, si fieri possit, Ecclesiis expositionem ejus, interpretationemque esse habendam (*e*). Legis hujusce observantiam methodo, & forma a S. Mem. Benedicti XIII. jam tradita integre custodire volentes, pau-

(*a*) Rom. 15. 4.

(*b*) S. Hieron. Epist. 14. ad Cenantiam.

(*c*) Idem Epist. 2. ad Nepotianum.

(*d*) Syn. Hortan. 1756. tit. 4. c. 4. n. 2. Syn. Viterbien. 1762. Syn. Civit. Castelli 1766. act. 3. c. 3. n. 6.

(*e*) Trid. sess. 5. de Ref. c. 1.

ca haec, quae sequuntur, Synodali Decreto praescribimus (*f*).

III. Singulis diebus Dominicis, Adventus tamen, & Quadragesimae tempore excepto, Vesperis, & Completorio in Choro absolutis, & post Venerabilis Sacramenti Benedictionem (*g*), Canonicus Theologus publicas in Ecclesia habebit Scripturae Sacrae lectiones, in quibus facili, planoque sermone propositum sibi textum exponet, clareque, ac dilucide aperiet, praecipuum in id collocans studium, ut quaestionum solutis nexibus, morales deducat sententias auditorum saluti proficuas. Quadraginta saltem annuatim erunt lectiones, nec alius unquam explanabitur liber, quam ab Episcopo designatus (*h*). Ne autem praedictus lectionum negligatur numerus, pro lectione qualibet absque legitimo impedimento a Nobis adprobando omissa, poenam statuimus subtractionis fructuum integrae illius diei (*i*) Ecclesiae Sacrario, sive pio alteri usui arbitrio Nostro applicandam. Nulli tamen erit ne punctationis quidem obnoxius poenae, si tota ea die, qua lectionem habuerit non intererit Choro, imo tamquam praesens haberi omnino debebit.

IV. Cum vero ubi non est auditus, nec sermo sit effundendus (*k*), fideles omnes monemus, & a suis Parochis monitos esse volumus, ne in vacuum gratiam Dei recipientes (*l*) publicam Sacrorum librorum

(*f*) Conc. Rom. sub. Bened. XIII. tit. 1. c. 6. Const. ejusd. Pontif. *Pastoralis officii* in Append. ad dict. Concil.

(*g*) Garz. de Benef. p. 1. c. 4. n. 557. Vetrigl. de Praeb. Teolog. annot. 12. §. 1. n. 26. Panimol. decis. 1. annot. 18. n. 4. Petra ad Constit. 2. Innoc. VI. n. 48. S. C. C. in Urbinaten. 10. Mart. 1663.

(*h*) Const. dict. *Pastoralis Officii*, S. C. C. ap. Crispin. Visit. Pastor. p. 2. §. 23. n. 4. apud Petram d. 4. pag. 255. Syn. Baptistell. c. 6.

(*i*) Const. *Pastoralis* sup. cit.

(*k*) Eccl. 32. 6.

(*l*) 2. Corinth. 6. 1.

a S. Synodo Tridentina pro animarum utilitate, ac bono decretam interpretationem libenti, promptoque animo audire recusent. Dignitates autem, Canonicos, caeterosque Choro addictos, ne ullo eam pacto declinent, vehementer hortamur (*m*). Quod Sacerdotibus quoque omnibus, ac Confessariis praesertim, Clericisque universis indicimus. Hic vero ad Sacrae Tridentinae Synodi mentem (*n*) temeritatem illam reprimere volentes, qua ad profana quaeque convertuntur verba, & sententiae Sacrae Scripturae, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, detractiones, libellosque etiam famosos; praecipimus, atque mandamus, ad tollendam hujusmodi irreverentiam, ac contemptum, ne de caetero quisquam quomodolibet verba Scripturae Sacrae ad haec, ac similia audeat usurpare, expresse declarantes, omnes hujus generis homines temeratores, & violatores verbi Dei maxima dignos detestatione, maximis, ac severissimis juris, & arbitrio fore a Nobis poenis coercendos.

TITULUS V.

De Festis diebus.

I. Nihil antiquius in Sacris libris, de quibus fuit hactenus sermo, nihilque frequentius, quam illos memorare dies, quos aeterni Numinis Majestati dicatos, Festos, solemnesque vocamus. Quanti autem fecerit Deus religiosam horum in veteri lege observantiam, vel ex eo clarissime constat, quod Sabbathi violatores morte puniendos praecepit (*a*). Abro-

(*m*) Conc. Rom. tit. 1. c. 9. S. C. C. pluries, ut videre est in Syn. Fulgin. Baptistell. c. 6. n. 4. Syn. Civit. Castelli 1766. act. 3. c. 6. n. 30. Syn. Anconit. 1674. tit. 4. Syn. Bajardi p. 1. c. 6. §. *Dignitates*. Thes. resol. S. C. C. in Pacen. 24. Aug. 1765. §. *Advertendum*.

(*n*) Conc. Trid. Sess. 4. decret. de edit., & usu Sacr. libr.

(*a*) Num. 15. 35.

gatis dumtaxat ritibus quibusdam, ac coeremoniis festorum dierum, sanctificationis praeceptum in novo Testamento a Christo Domino confirmatum fuisse, indubium est: ast acerbissime dolendum misera praesertim nostra hac tempestate, Christianos non modo ea, qua par est, religione raro illos servare, verum etiam eo saepe tempore abundare delicta, cum praecipue gratiam superabundare deceret. Gravissimo igitur huic malo, quantum in Domino possumus, ire obviam volentes, *quandoquidem*, ut D. Caroli utamur verbis (*b*), *publica peccata* (*ea maxime*, *quae Divinum cultum amoliuntur*) *in plebem vehementius irritant iram Dei*, *Nobisque ex officio incumbit ea submovere*, praeter alia, quae jam sub die 1. Decembris 1780. sancivimus publico Edicto (*c*), cui Synodale nunc etiam addimus robur, opportunum ducimus sequentia adjungere.

II. Artium quarumcumque mechanicarum exercitia Dominicis, aliisque de praecepto diebus vetita esse declaramus, itemque ruralia opera omnia, ne excepta quidem segetum, frumentorumque collectione. Quum vero imminere facile possit dilatae messi periculum, ut festivis etiam diebus illi dent operam, Parochi, cognita necessitate, popularibus suis, dummodo tamen prius praecepto satisfecerint Missae, Nostro nomine indulgeant (*d*). Quaecumque alia urgere credatur necessitas, omnino ad Nos deferatur judicio Nostro probanda. Quapropter nemini fas sit sine Nostra, vel Vicarii Nostri Generalis licentia vindemiare, triticum, aut vinum advehere, vecturas agere, panem coquere, triticum in Molendinis conterere, aliaque hujusmodi facere, quae in servilium operum

(*b*) Actor. Eccl. Mediolanen. p. 3. Edict. 14. Novembr. 1574.

(*c*) Vid. Append. n. II.

(*d*) Nicol. V. apud Reinald. ann. Christi 1447. n. 18. Bened. XIV. Notific. 65.

numero censeantur. Inobedientes (*e*) unius aurei poenam dabunt pro prima vice, dupli pro secunda, pro tertia vero carcere pro arbitrio Nostro punientur.

III. Nullae festivis diebus in universa Dioecesi fiant nundinae, nulli mercatus. Mercatores, Artifices, venditores quicumque suas claudant ubique officinas eadem omnino ratione, ac sub poenis eisdem, quas tit. 3. n. V. indiximus. Victualia vendentibus, itemque cauponibus, & tabernariis, secluso semper Divinorum Officiorum tempore, ut ostiolum tantum apertum habeant, permittimus. Solemnioribus tamen anni Festivitatibus & ipsis omnino sub praedicta poena vetamus. Choreas insuper tam publicas, quam privatas, inania Circulatorum spectacula, perstrepentes ludos, indecora tripudia, bacchanali etiam tempore larvas tum festivis diebus omnibus, tum sexta qualibet anni Feria (*f*) expresse interdicimus, &, quoad dies festos, Boum quoque, Taurorumque agitationes sub iisdem poenis esse interdictas volumus.

IV. Neque ab his tantum abstinendum sibi esse credant fideles, verum ab iis pariter omnibus, quae a Deo mentem avertunt. Cessare enim ab operibus jubemur, ut non in commessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis (*g*) insumamus festivos dies, sed liberato a laboribus corpore animus facilius ad Coelestia erigatur. Hinc, cum nefas sit caeteris quibusque diebus otio indulgere, haud sane licere festivis, Parochi suis populis innuent, cumque servitute peccati nulla sit turpior, atque execrabilior servitus, hanc ut exhorrescant D. Thomae auctoritate (*h*) docebunt, culpis die festo patratis gravius

(*e*) Syn. Barusii tit. 15. §. *Si quis*. Syn. Fabretti c. 23. §. *Sileant*.

(*f*) Bened. XIV. Const. *Inter caetera* 1. Januar. 1748. Syn. Castellii, & Fabretti loc. cit.

(*g*) Rom. 13. 3.

(*h*) S. Thom. 2. 2. quaest. 122. art. 4. ad 3.

proculdubio, iniquiusque Deum offendi. Arguant igitur, obsecrent, increpent, ut a profanis, illicitisque abstractos ad pia, sanctaque opera, quantum in ipsis est, omnes trahant.

V. Inter multa religionis officia, quibus Divinam colere Majestatem fidelibus convenit, illud unum festis diebus praeceptum est ab Ecclesia, ut nempe Sacrosanctum audiant Missae Sacrificium (*i*). Quanta autem Sanctissimo huic, tremendoque Mysterio interesse debeant demissa animi veneratione, quanto cordis affectu, quantaque etiam exteriori compositi corporis devotione, ac modestia, Animarum Rectores in suis concionibus frequenter ostendant, nec in memoriam redigere omittent, quod jam supra diximus, maxime nimirum decere, ut in sua quisque Paraecia huic satisfaciat praecepto (*k*). Prohibeant insuper, ne armis quisquam instructus, aut capite operto, aut irrisor potius, quam venerabundus semiflexo tantum assistat genu. Quidquid tandem ad removendam Sanctorum dierum profanationem, quidquid ad fidelium excitandam, fovendamque pietatem conferre potest, sedulo curent, nec dimidiam tantum diei partem, ut solent plerumque, in religionis officiis impendere contenti sint, sed integram, totamque Dei cultui, propriique gregis sanctificationi libenti animo donent.

VI. In id praecipue intendentes antiqui Canones (*l*), ad integras quotidie in suis Ecclesiis horarias preces vel per seipsos, vel per suos, ut ajunt, Scholares publice recitandas Parochos obstringebant, quod nostra hac jam obsolevit aetate, nec in plerisque Paraeciis ob Ministrorum defectum revocari posset in usum. In iis tamen Ecclesiis, in quibus solemniori-

---

(*i*) Cap. *Missas* 64. dist. 1.

(*k*) Conc. Trid. Sess. 22. in decr. de observand., & evitand. in celeb. Missae.

(*l*) Clem. I. de celeb. Missae c. 1. *Ut quisque* de vit. &

bus praesertim diebus est in more positum Vesperas canere, laudabilem hanc, acceptamque a Majoribus consuetudinem servari omnino volumus. Ubi vero illis probatae aliae ab Ecclesia preces suffectae sunt, quas alternatim aut recitet, aut cantet & populus, ut eas Parochi prosequantur, praecipimus, enixe interim ipsos universos hortantes, ut precibus absolutis adstanti populo impertiantur cum Venerabili Sacramento Benedictionem, cui aeque ac Parochiali Missae quadraginta dierum adnectimus Indulgentiam, quam tamen nemo, nisi in Paraecia propria, lucrari poterit.

VII. Mobilia Festa tam in Cathedrali, quam in Collegiatis Ecclesiis inter Missarum solemnia singulis annis in Epiphania publicentur juxta Romani Pontificalis praescriptum (*m*). Occurrentia quaeque per hebdomadam suae plebi Parochi annuntient praecedenti Dominica, atque in illorum pervigilio vigesima quarta diei hora aeris campani pulsatione solemnitatem praeveniant. Obstrepere autem, ut quidam auribus solent immodico sonitu, quo saepe molestia infertur, nunquam excitatur devotio, vetitum esse volumus, ideoque tum in Civitate, tum in Dioecesi per quinque tantum dies ante quamcumque solemnitatem, ac per semihorae spatium mane, meridie, & vespere statuimus pulsandas esse festivo more campanas (*n*), quod sibi aeque injunctum Moniales intelligant, sive dies aderit puellae ad habitum recipiendae, sive aliqua ad Professionem emittendam Novitia accesserit. Haud tamen Parochi campanis parcant pro Angelica salutatione tribus in die statis jam vicibus denuntianda, & pro Psalmo: *De profundis* circa pri-

honest. Cleric.

(*m*) Pontif Rom. p. 3. de pub Fest. mob.

(*n*) Syn. Civit. Castelli 1766. act. 1. c. 8. n. 14. Syn. Anconit. 1779. p. 2. tit. 10. §. *Quemadmodum*.

mam noctis horam in fidelium animarum suffragium recitando. Ne omissione sua Indulgentiarum thesauris, quas Apostolica liberalitate summi concessere Pontifices (o), populos fraudent, negligentiam quamcumque & reprehendendam fore sciant, & si opus fuerit, puniendam.

VIII. Sanctorum Festivitates, quas celebrat Romana Ecclesia Ecclesiarum omnium Magistra, & Mater, celebrari nos quoque mandamus. Suarum igitur plebium in Sanctos pietatem Curatores Animarum studio omni excitent, nutriant, foveant, ac potissimum in Deiparam Virginem Sanctorum omnium Reginam, inque Sanctos Ecclesiarum suarum, atque Oppidorum Patronos. At ne devotio debita praetergrediatur confinia, ex Tridentinorum Patrum, & Augustini sententia (p) rudes praesertim homines doceant, nos mirabilem Deum in Sanctis suis venerari, nec iis, sed soli Deo, a quo triumphales ipsi coronas obtinuerunt, Templa, Altaria, Sacerdotia, & Sacrificia, statuere, gratiasque, aut opportunam in nostris necessitatibus opem petere, non ut ipsi exhibeant, sed ut facilius per eorum intercessionem a Deo assequamur (q). Exuvias, & Sanctorum Reliquias, quae, ut ait Tridentinum (r) *viva membra fuerunt Christi, & Templum Spiritus Sancti* religioso custodiri praecipimus cultu, & honore debito exponi. Nullibi tamen, neque in exemptis Ecclesiis id fiat, quin per authenticas de more Litteras recognitae, adprobataeque appareant, & vel Decessorum Nostrorum, vel Nostra intercesserit venia. Ut autem iisdem aliquis tribuatur

(o) Bened. XIII. Const. *Injunctae Nobis* 14. Sept. 1724. Clem. XII. Const. *Coelestes Ecclesiae* 14. Aug. 1736. Edict. Urbis juss. Bened. XIV. 20. April. 1742.

(p) Trid. sess. 24. c. 3. sess. 25. de Invoc. Vener., & Reliqu. Sanctorum S. August. lib. 2. contra Faustum Psalm. 60.

(q) Syn. Fabretti c. 1. §. *Cumque*.

(r) Conc. Trid. cit. sess. 25. de Invoc. Sanctorum.

quotannis cultus, Sanctorum omnium solemni die, quotquot in Ecclesiis quibusque Reliquiae habentur, publicae fidelium proferantur venerationi. Parochos interim hortamur, ut assidue populos sibi concreditos moneant, Sanctorum solemnitates nec inanis laetitiae plausu, nec solo devotionis externae apparatu esse celebrandas: *Religio enim munda, & immaculata apud Deum haec est* (s) ipsorum exempla sequi, inhaerere vestigiis, virtutes exprimere; quare id fidelibus omnino suadeant, ut *imitari non pigeat, quod celebrare delectat* (t).

TITULUS VI.

De sacris Supplicationibus.

I. Egimus hactenus de festis diebus. Rectus nunc postulat ordo, ut de sacris supplicationibus, sive Processionibus, ut ajunt, agamus, quae aut quamdam habent Festi rationem, aut Festis plerumque diebus haberi solent. Eas apud Christianos prioribus Ecclesiae saeculis obtinuisse, veterum Scriptorum testimonio (a) ita est exploratum, ut nimia profecto, atque intolerabilis esset audacia, vel novitatis inurere notam, vel improbare. Consueverunt in ipsis majores nostri pias ad Deum preces effundere, sive ut bona quibus egebant, consequerentur, sive ut mala averterent, quibus affligebantur. *Coimus ad Deum*, sic ad rem Tertullianus (b), *quasi manu facta precationibus ambiamus*. Quae quidem omnia cum nos quoque oporteat a Divina efflagitare misericordia, ideo non modo

(s) Jac. 1. 26.

(t) Div. August. Serm. 47. de Sanct.

(a) Tertul. libr. 2. ad Uxor. S. Ambros. serm. 8. Concil. Laodicen. sub Silvestr. circa ann. 320. c. 17. Socrat. histor. Eccles. l. 2. c. 16. Teodoret. hist. Eccl. l. 3. c. 9. Hieron. adver. Vigilant. August. ibid.

(b) Tertul. Apologet. c. 39.



Processiones ab universali Ecclesia statutas, sed etiam in hisce nostris Dioecesibus in more jam positas & commendamus, & nulla omitti ratione praecipimus. Novas autem cogere, nemini unquam Nobis inconsultis licebit (*c*).

II. Ne Processiones ignorentur aere campano indicari die antecedenti mandamus. Extraordinariae populo vel per Parochos, vel per Edicta annuntientur. Supplicationibus ex universali Ecclesiae institutione, vel ex nostra auctoritate pro re gravi aliqua indictis, Canonici tum Cathedralis Ecclesiae, tum Collegiatarum omnes omnino intersint, Sacerdotes insuper, Clericique tam in Majoribus Ordinibus, quam in minoribus constituti, nemine prorsus excepto, & sub poenis pro arbitrio nostro infligendis (*d*); item Regulares quicumque (*e*) juxta Tridentini praescriptum, latamque ab ipso sententiam; ac denique laicorum sodalitates, quibus hanc edicimus legem, ut ex albo Confratrum, quotquot sine legitima caussa defuerint, ipso jure expungantur (*f*), & Societas ipsa universa, quae aberit, illico supprimatur. Quae omnia cum de quibuslibet intelligenda sunt supplicationibus, tum ad solemnissimam illam potissimum referimus SS̃mi Corporis Christi, a qua Praesbyteri, Clericique absentes unius aurei poena illico multabuntur.

III. Caveant, qui ad Processiones accedunt, ne quo tempore exorandus, placandusque est Deus, magis provocetur ad iram. *Videant in primis, Sacerdotes, aliique Ecclesiastici Ordinis, ut iis Processio-*

(*c*) S C C. 3. Sept. 1628. 9 Mart. 1693. 24. August. 1719.

(d) Syn. Barusii t. 23 §. *Ad Processiones*. Syn Bajardi p. 6. c. 5. §. *Ad generales* Syn. Feretr. 1734. Syn. Auxim. 1678. c. 10. §. *Inter*. Syn Ancon 1779. p. 2. t. 12. art. 1 §. *Clerum*. Bened. XIV. Instit Eccl. 31. circa finem.

(*e*) Conc. Trid. Sess. 25. c. 3. de Regular.

(*f*) Syn. Hortan. 1756. Syn. Civit. Castelli 1766. act. 2. c. 10. n. 4.

nibus ea modestia, ac reverentia tum ab ipsis, tum ab aliis adhibeatur, quae piis, & religiosis hujusmodi actionibus maxime debetur (*g*). Quare a colloquiis, risibus, salutationibus, vanisque oculorum obtutibus prorsus abstineant, ut Christianam extrinsecus praeseferentes modestiam, intimam cordis pietatem, religionemque demonstrent. Bini omnes incedant ita gradientes, ut alter ab altero congruo semper spatio distet, nec tamen taciti, sed Lytanias, Psalmosque, atque Hymnos pro temporis circumstantia assignatos alterna concinant voce (*h*). Quae omnia cum primo Ecclesiasticis viris, qui caeteris exemplo esse debent, volumus dicta, tum deinde etiam Laicis, a quibus aut ducitur, aut comitatur Processio. Hi autem nec flores gestent, nec chirotecas, aut alia vanitatis insignia (*i*), cumque in cilicio, & cinere Omnipotentis deprecari oporteat misericordiam, non calamistrati appareant, nec caput profano pulvere aspersi. Nullae se unquam Processionibus intermisceant foeminae, quamvis accensam deferant facem. Progrediantur post eam mares, seorsim illae velato capite, demissoque vultu sequantur.

IV. Qui sacrum constituunt agmen, vestibus induti sint sibi propriis. Confraternitatum sodales, cappis, seu saccis: Regulares eo, quo in Choro utuntur, habitu: Clerici, Sacerdotesque talari veste, superpelliceo, & bireto, quibus addent Parochi Stolam (*k*): Mansionarii, Canonici, & Dignitates suis ornati incedant insignibus. Debitus ita servetur ordo, ut minus digni praeeant, subsequantur digniores. Sodalitates ab Episcopali suae erectionis Decreto locum sibi vindicabunt (*l*); ubi vero Sanctissimum

(*g*) Rit. Rom. t. 9. c. 1

(h) Rit. Rom. loc. cit. Clem. XI. Encycl. 30. Jul. 1701.

(*i*) Syn. Barusii t. 23. Syn Castelli c. 26. Syn. Fabretti c. 24. Syn Bajardi p. 6. c. 5. loc. cit.

(*k*) Decret. Sac. Rit. Cong. Urbis, & Orbis 1703. ad 23.

(*l*) Conc. Provinc. Mediol. 6. sub S. Carol.

Altaris Sacramentum circumferatur, Societas illi dicata honestiorem ubique tenebit (*m*). Religiosae Familiae Constitutionem servabunt Gregorii PP. XIII. (*n*). Clerus denique saecularis initium ab Alumnis Seminarii Nostri sumet, desinetque in Canonicos, ac Dignitates. Quod si quam oriri contigerit, inimico homine superseminante zizania, de praecedentia quaestionem, ad Nos, sive ad Nostrum Generalem Vicarium delata, de quibusvis agatur personis, & appellatione quacumquè amota, componenda illico erit, aut dirimenda (*o*).

V. Processiones quascumque etiam privatas, usuque receptas aut in aliam rejicere diem, aut a via semel electa transferre neque Regularibus (*p*), neque Capitulis (*q*) sine Nostra adprobatione fas erit. Noctu haberi solitam Feria Sexta Majoris hebdomadae Nostrorum exemplo Praedecessorum Nos quoque permittimus, dummodo tamen nullae adsint foeminae, quas si Ecclesiam ingredi audeant, excommunicationi Nobis reservatae immediate subjicimus (*r*). Caeteras omnes nocturnas functiones definite vetamus. Bellicos crepitus, & pyrii pulveris explosiones procedente supplicatione, nec non tumultus, jurgia, rixas sub carceris poena interdicimus (*s*). Flores e fenestris projicere levitatis potius, & inverecundiae, quam devotionis argumenta damnamus: iis tamen sternere

(*m*) S. R. C. in Vercellen. 18. Jun. 1695. in Cremen. 3. August. 1697.

(*n*) Greg. XIII. Const. 84. *Exposcit*.

(*o*) Trid. Sess. 25. de Regul. c. 13. Greg. XIII. cit. Const. *Exposcit*.

(*p*) S. R. C. in Salcanstren. 28. April. 1690. in Quiten. 3. Septem. 1696. Pignat. tom. 3. Consult. 63. n. 3. Monacell. tom. 1. t. 5. form. 7. n. 31.

(*q*) S. R. C. in Hispalen. 3. Septem. 1695. & 21. Jul. 1696. in Asten. 21. Jan. ejusd. anni.

(*r*) Syn. Bajardi p. 6. c. 5.

(*s*) S. C. Episc. apud Crispin. visit. Pastor. p. 2. §. 25. n. 6.

viam, atque in solemnissima praesertim Christi Corporis Processione, parietes quoque tapetis, auleis, pictisque ornare tabulis decebit maxime, dummodo profanum nihil, nihilque minus honestum exhibeatur. Symbola vero, Mysteria, repraesentationes, spectacula cujuscumque sint generis, vetita omnino esse volumus, atque abrogata (*t*).

VI. Ut quae praescribimus, omnia demandentur executioni, Parochorum erit munus ea populo opportune indicare. Id tamen potissimum optamus, ut faciant, redeuntibus Lytaniarum Majorum, Rogationum, ac Sanctissimi Corporis Christi solemnitatibus; tunc enim aptius statutarum ab Ecclesia supplicationum rationem, ac congruentiam ostendere, & summam, qua illis interesse par est, frequentiam, animique devotionem praedicare, uberioris spe fructus poterunt. Hac autem occasione, cum indigna plane res sit, Processiones veluti oblata curiositati spectacula e fenestris prospicere, legitimo impedimento detentos ne supplicantium sese adjungant agmini, moneant, ut Sanctissimum praecipue Eucharistiae Sacramentum in viam descendant, dum circumfertur, veneraturi (*u*). Quod ut aeque omnes faciant, tabernarios, mercatores, artificesque quoscumque suas claudere officinas jubemus (*x*), quemadmodum superiori titulo n. III. sancivimus.

D

Syn. Feretr. 1734. tit. 20. c. 4. Syn. Fulgin. Baptistelli c. 22. n. 6 Syn Tusculan. 1763. p. 1. c. 9. art. 5. Syn. Civit. Castelli 1766. act. 2. c. 10. n. 6. Syn. Auxim. 1778. c. 10. Syn. Ancon. 1779. p. 2. t. 12. art. 1. §. *Dum Sacra*. Syn. Ferrarien. 1781. p. 3. c. 7. n 9. Syn. Bajardi loc. cit. §. *Cuncti*.

(*t*) Coerem. Epis. l. 2. c. 32., & 33. Conc. Mediol. primo p. 2. tit de Process. §. *Neque*.

(*u*) Syn. Auxim. 1778. c. 10. §. *Insuper*. Syn. Bajardi cit. p. 6. c. 5

(*x*) Bened XIV. de Syn. Dioeces. l. 11. c. 3. Syn. Urbin. 763. Syn. Civit. Castelli 1766.

TITULUS VII.

De Jejuniis.

I. Quanta apud Christianos priscis Ecclesiae temporibus jejuniorum religio fuerit, nemo non scit, qui antiquorum Patrum opera (*a*) vix salutaverit. Quanta autem, quamque stricta teneantur fideles jejunandi obligatione, satis abunde ostendunt Divinae Litterae, Christi Redemptoris, & Apostolorum exemplum, ac tandem poenitentiae agendae necessitas, ut carne mortificati spiritu vivificentur (*b*). Adeo tamen malis hisce diebus refriguit charitas, ut vix, ac ne vix quidem appareant veterum jejuniorum vestigia. Infelicem hanc temporum, seu verius animarum calamitatem saepe doluimus, pluresque edidimus hac de re Litteras (*c*), quas tum populos curae nostrae commissos, tum, ut opportune loquantur, Parochos ipsos prae oculis habere vellemus. Ne vero aut alias dicta iteremus, aut maximum praetermittamus disciplinae Christianae caput, breviter hic, quae necessario aut indicanda sunt, aut decernenda perstringimus.

II. Unica tantum erit jejunii diebus, eaque circa meridiem, comestio, nec solum abstinendum a carnibus, sed ab iis quoque omnibus, quae a carnibus originem ducunt (*d*). Serotinam refectiunculam metientur non laxiorum blandimenta opinionum, sed

---

(*a*) Tertullian. Lib. advers. Psychic. Epiphan. in exposit. Fid. August. Ep. 55. ad Januarium n. 28. Hieron. l. 2. contra Jovin. & Epist. 54. ad Marcell. Leo I. Rom. Pont. Serm. 43. c. 2. aliique.

(*b*) Petr. 3. 18.

(*c*) Vid. Litter. Pastoral. de Quadragesima Ann. 1781. 82. 83. 84. 86. 87. 88.

(*d*) Cap. *Denique* distinct. 4. Trident. Sess. 25. de delectu ciborum, & jejun.

hominum rectae, meticulosaeque conscientiae praxis, & modus (*e*). Unicae comestionis, parcaeque refectiunculae regulis ii quoque omnes subjecti sunt, quibus legitima intercedente dispensatione sive Quadragesimali, sive caeterorum jejuniorum tempore carnibus vesci permissum est (*f*). Ii vero & miscere inter epulas carnibus pisces (*g*), & potiones jure, aut lacte permixtas extra prandium sumere (*h*) sub gravi vetantur. Jejunii violare legem mortale est, quamvis nullus adsit contemptus, nec praecisa inobediendi voluntas (*i*). Violatur etiam modicum quid saepius in die comedendo (*k*). Lege non adiguntur, nisi qui vigesimum primum aetatis compleverint annum, etsi a primo rationis usu unicuique sit nefas, illis uti omnibus cibis, qui jejunii tempore vetiti sunt.

III. Cum probe haec omnia tenere Animarum Rectores credimus, tum plane confidimus fore, ut suis ea plebibus, adveniente praesertim sacro Quadragesimae tempore, innuant. Docebunt vero frequenter, non omnes, qui manuum suarum labore victitant, illico a jejunandi obligatione excusari. Sane neque officiales corporaliter in Republica laborantes, neque quicumque equitantes (*l*) absolute a jejunio excipiuntur. Sicut igitur, ubi timor est morbi, consulitur Medicus corporis, ita, ubi peccandi est periculum, spiritualem consulendum esse Medicum praedicent, ne quis a concupiscentia sua abstractus, & illectus (*m*) malo propriae animae fato decipiatur. Quod quidem magis, magisque inculcare debebunt, quoties de vescendis a-

---

(*e*) Bened. XIV. Encycl. ad Archiep. Compostell. 8. Jul. 1744.
(*f*) Idem Encycl. *In supremo* 22. August. 1741.
(*g*) Idem cit. Encycl. ad Archiep. Compostell. resp. 4.
(*h*) Clem. XIII. Encycl. *Appetente* 20. Decem. 1759.
(*i*) Prop. 24. inter proscript. ab Alex. VII. 24. Sep. 1665.
(*k*) Idem Pont. inter Prop. proscript. 18. Martii 1666.
(*l*) Prop. 30. & 31. inter damnat. a dict. Alex. VII. an. 1666.
(*m*) Jacob. 1. 14.

getur ob valetudinem carnibus, utriusque enim Medici expetendum est in hoc casu consilium (n), ne fallax obrepat necessitatis opinio. Monitos hic tamen Medicos volumus, ut cauti admodum sint, ac quandoque etiam difficiles in carnium copia Quadragesimali tempore danda, nec, ubi ovis, ac lacticiniis satis valetudini consultum est, edendas carnes concedant. Nullius autem roboris erit ipsorum facultas, nisi altera accesserit Vicarii Nostri Generalis in Civitate, Foraneorum in Dioecesi scripto exarata, quam gratis semper, sed sobrie, parceque tradendam esse mandamus.

IV. Tempore toto Quadragesimali carnes, aliasque vetitas dapes in propatulo habere, palamque venditare sit nefas (o), nec nisi iis veneant, qui supradictam exhibeant facultatem, quod tabernariis aeque, cauponibusque quibuslibet sub gravibus etiam poenis indicimus. Choreas, Comaediasque tam publicas, quam privatas, publicos ludos, circulationes, cantionesque, & per vias sonitus, poenis statutis iisdem tam in Quadragesima, quam in Adventu, interdicimus; at in Quadragesima cursitantium quoque Bovum spectacula (p); indignum est enim Christiano quocumque homine inanibus indulgere oblectamentis, dum suos Ecclesia filios sanctissimis legibus, plenisque moestitiae ritibus ad corporis afflictationem, animique poenitentiam invitat.

V. Annuntiandos a Parochis esse praecedenti Dominica jejunii dies, diximus alibi. Nunc & in pervi-

---

(n) Bened. XIV. Encycl. *Non ambigimus* 30. Maii 1741.

(o) Conc. Mediol. 5. sub S. Carol. p. 5. quae ad Sacr. temp. pert., & ejusdem S. Carol. Edict. Conc. Prov. Urbin. de jejun. c. 2. Syn. Callien. Luperti 1708. t. 2. c. 3. §. 5. Syn. Feretr. 1734. t. 3. c. 4. Syn. Ancon. 1779. p. 2. t. 9. Syn. Ferrarien. 1781. p. 3. c. 3. Syn. Barusii t. 16. Syn. Castell. c. 8. Syn. Fabretti c. 23. Syn. Bajardi p. 6. c. 6. §. *Sacrae Quadragesimae*.

(p) Syn. omnes supr. relatae loc. cit.

gilio post horam vigesimam quartam aeris campani pulsatione populis esse indicandos, perpetua lege statuimus. Dabitur autem hoc signum in Civitate ab Ecclesia Nostra Cathedrali, & a singulis quibusque Parochialibus in Dioecesi. Porro sacratissimae Quadragesimae initium per integram horam ante mediam noctem Cinerum diem praecedentem edito ab Ecclesiis praedictis majoris aeris campani sonitu praevenietur. Praeveniant vero, necesse est, Animarum Rectores exhortationibus suis illud acceptabile tempus, doceantque fideles, ideo Quadragesimale institutum fuisse jejunium, *ut dignitas conditionis humanae per immoderantiam sauciata medicinalis parsimoniae studio reformetur* (q). Quare & illud libenti animo adgrediantur, & zelo prosequantur justitiae: Verum enim cum sit juxta Augustinum (r) jejunium, mentem ab iniquitatibus revocare; aequum profecto est, *ut qui se affligendo carnem ab alimentis abstinent, sectando justitiam a culpa jejunent* (s).

TITULUS VIII.

De Fidei, morumque integritate servanda.

I. Fidei custodire depositum, quod Paullus Thimoteo jusserat (a) praecipuum esse ministerii Episcopalis officium, non est sane ambigendum. Hinc vero facile evincitur, quam stricto teneamur jure sanctissimam Catholicae Romanae Ecclesiae Fidem & strenue, firmiterque tueri, & omnibus contendere nervis, ut in Dioecesibus Nostris integra, inviolataque servetur. Quapropter fideles omnes Nostrae concreditos curae serio monemus, ut, si quos noverint esse non

(q) Eccles. in Orat. Fer 5. post Dom. Passion.
(r) Cap. *Jejunium* 14. Dist. 15. de Consecr.
(s) Eccles. in orat. Sabati post Dom. Quadrag.
(a) 1. Thim. 6. 20. 2. ad eumdem 1. 14.

modo Haereticos, & Schismaticos, sed etiam aut ea exercentes opera, aut licita esse docentes, ex quibus male ipsos de orthodoxa Fide sentire, sive suspectos esse dignosci possit, intra triginta dierum spatium Nobis, vel Vicario Nostro Generali denuntient, sub Excommunicationis latae sententiae poena Sedi Apostolicae reservata (*b*).

II. *Faciendi plures libros* infelici praesertim hoc tempore *nullus est finis* (*c*), & prodeunt quidem in dies fere singulos ad confirmandam scriptorum suorum audaciam aeque, ac improbitatem. Horum sive ab Ecclesiastico jure, sive a naturali vetitam esse omnino lectionem, ut nullus ignoret, Parochi opportune monebunt innuendo insuper, retinentes pari modo, ac legentes fore a Nobis severe puniendos. Caveant igitur fideles omnes, quemadmodum eos per Jesum Christum auctorem, consumatoremque Fidei enixe obtestamur, ne fallacibus Pseudophilosophorum aetatis nostrae commentis assensum praestent, caveant imo, ne subdolis eorum praebeant aures argutiis. *Profanas vocum novitates devitent, & oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes* (hisce fortasse diebus, ac in eadem Italia nostra) *circa Fidem exciderunt* (*d*). Quod aeque de Theologis quibusdam novarum opinionum amatoribus dicendum est, qui a veritate viam sibi paravere ad errores, novosque abusus ex veteri disciplina eruentes, Ecclesiae pacem ausi sunt perturbare, Centrumque Unitatis refugere. *Et hos devitent* (*e*), & alios omnes, quorum scripta satis superque produnt, quam laethale virus ad mactandas, atque perdendas oves in corde Scriptores foveant, quod tamen spe-

(*b*) Alex. VII. in Const. *Licet alias* 8. Jul. 1660., & in Propos. damnat. 5.

(*c*) Eccl. 12. 12.

(*d*) 1. Thim. 20. 21.

(*e*) 2. Thim. 3. 5.

cioso severioris Theologiae cortice obtegere callide student.

III. Nemo sive Bibliopola, sive alius venditor quispiam nec librum, nec etiam chartulam typis impressam venditare praesumat sine Nostra, vel Vicarii Nostri Generalis licentia, pro qua obtinenda librorum semper exactus exhibendus erit cathalogus. Quicumque venales prostrabunt non indicati, amittet eos venditor, poenaque arbitrio Nostro plectetur, quam neque effugient qui, quavis capta occasione, audebunt brevia proferre Nobis inconsultis Poemata. Scaenicas pariter actiones sacras, ac profanas, privatas, ac publicas interdictas volumus, nisi a Nobis fuerint, aut a Vicario Nostro Generali recognitae, quod aeque de Sacrarum Imaginum venditione, & expositione, de Thesibus quibuscumque publice defendendis, de laudationibus Defunctorum, deque Mimorum spectaculis omnino praescribimus, ut certi esse possimus, nihil unquam in Nostris proferri, exhiberique Dioecesibus, quod aut Religioni adversetur, ac Fidei, aut morum minuat integritatem.

IV. Blasphemiae detestabile crimen, quo perditi quidam irae, ac vindictae filii *contra ipsum Dominum*, ut ait Athanasius (*f*), delinquunt, in Dioecesibus Nostris nec nominari vellemus. Hanc tamen hominum pestem, si malo temporum fato apud Nos etiam inveniri contigerit, ut juxta latam a Pio V. Pontifice Sanctissimo legem (*g*) puniamus, Nobis denuntiari praecipimus. Sciant autem omnes, sub poena Excommunicationis ipso facto incurrendae, Sedique Apostolicae reservatae denuntiandos esse haereticalis blasphemiae reos, simplicis vero sub poena arbitrio Nostro infligenda (*h*), quam ad carcerem

(*f*) D. Athanas. in cap. 12. Matth.

(*g*) S. Pius V. Const. *Cum primum*.

(*h*) Bened. XIV. Notif. contr. blasphem. 26. Septemb. 1752.

usque extendemus contra tabernarios praesertim, hospitesque, ac caupones, in quorum non raro domibus, vino impia suggerente vocabula, in Deum, Dei Matrem, ac Sanctos maledicta effutire perversi homines solent, nisi in Civitate coram Nobis, aut Vicario Nostro Generali, in Dioecesi coram Vicariis Foraneis, aut suis etiam Parochis opportuno tempore denuntiationis satisfecerint obligationi.

V. Haec saepe docentes Parochi, ut nemo ea ignoret, in illos pariter invehere non praetermittant, quorum os abundans malitia (*i*) audet indigne bonos corrumpere mores colloquiis pravis (*k*). Quid cum Christiano homine (*l*) *aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quae ad rem non pertinet?* Has offensionis, & scandali petras ab agro Domini removere, quanto sit studio curandum, nemo non videt. Vigilent igitur Animarum Rectores, & effraenatam in loquendo licentiam tum sua, tum Nostra etiam, si opus fuerit, auctoritate cohibeant. Quoniam vero cum homines a fructibus eorum dignosci sciamus (*m*), facile est obscaena loquentes obscaenitatibus esse deditos, pro certo habeant omnes hujus furfuris sive viri sint, sive mulieres, Nos in eos ad Sacrorum Canonum tramites severissimis poenis pro gravitate criminum animadversuros. Hic autem obiter Parochos monemus, ut tales quoscumque noverint, Nobis patefacere non graventur, fidem quoad ipsos pollicentes secreti, ubi sic expetant.

VI. Ut quantum in Domino possumus, peccandi in hoc genere occasionem tollamus, sub poena Excommunicationis praecipimus, ne Sponsi de futuro in Sponsae domo dormire audeant, cui pariter Excom-

(*i*) Psalm. 49. 19.
(*k*) 1. Corinth. 15. 83.
(*l*) Ephes. 5. 4.
(*m*) Matth. 7. 16.

municationi ipso facto incurrendae subjicimus Patres, Matresque familias (*n*), si filios, qui septimum expleverint aetatis annum, mares, foeminasque promiscue in eodem lecto dormire impie, negligenterque permittant. Serio interim puellarum custodiae animum Parentes intendant memores strictissimam aeterno Judici reddituros esse rationem, si incuria sua patiatur eorum innocentia jacturam, caveantque, ne quibus temporalem dedere vitam, ammittendae perpetuae ansam infeliciter praebeant. Cuncta hinc proscribimus vel minimam redolentia obscaenitatem spectacula sub carceris poena ab actoribus, curatoribus, promotoribusque omnino subeunda: Cantiones item minus honestas seu diu concinantur, seu noctu: Amatorias tandem effraenium juvenum artes, unde tot saepe oriuntur scandala, jurgia, rixae. Quinimo Christianos universos Pastorali Nostrae fidei commissos obsecramus, ut per castitatis virtutem *sua corpora exhibeant hostiam viventem*, *sanctam*, *Deo placentem* (*o*), caeterisque exemplo praeluceant Clerici, atque Ecclesiastici omnes, quos exhorrescere oportet carnalia desideria, quae militant adversus animam (*p*), & quorum nulli parcemus unquam in re tanti ponderis culpae.

VII. Affine impudicitiae vitium, quo saepe illa aut excitatur, aut alitur, profecto est ebrietas. Quam turpe sit praeclarissimum Creatoris donum rationem obtundere, & quodammodo excaecare, vel ipsi rudes intelligunt. Quae vero, quantaque mala ex ebrietate nascantur, non est qui nesciat. Sane sacrae ipsae paginae docent, quod *vinum aeque ac mulieres apostatare faciunt sapientes* (*q*), hincque Nobis magnopere

(*n*) Syn. Tuscul. 1763. p. 2. c. 3. art. 3. n. 11. Syn. Civit. Castelli 1766. Act. 1. c. 13. n. 9.

(*o*) Rom. 12. 1.

(*p*) 1. Petr. 2. 11.

(*q*) Eccl. 19. 2.

curandum est, ut pessimam sese inebriandi, quam praesertim habent plebeji homines, consuetudinem e Dioecesibus Nostris eliminemus. In hoc autem Parochorum curam, solertiam, sollicitudinem & exquirimus, & excitamus. Damnationis aeternae periculum eo magis ebriosis imminens, quo minor in ipsis destitutis plerumque rationis usu ad Sacramenta rite, recteque accipienda est dispositio, Pastorum charitatem sic urgeat, ut nihil intentatum relinquant, quin eos ad meliorem revocare frugem contendant. Saepe in concionibus suis foedissimam ebrietatis turpitudinem ostendant, precesque, monita, atque interdum etiam opportune, prudenterque minas tali cum deditis vitio adhibeant. Idque agant in primis tum ipsi, tum coeteri Confessarii omnes, quum hujusmodi homines peccata sua confitentes audiunt. Caveant autem, ne facile illos Sacramentali donent absolutione, sed eam tamdiu differant, aut suspendant, quamdiu iidem facto ipso, & certa vitae emendatione poenitentiae non dederint signa. Caupones autem, tabernarios, coeterosque vini venditores sedulo moneant, ne aliena crimina faciant sua, vinum ebriosis largius propinando, aut, quod pejus esset, ad frequentiorem, uberioremque potum eos provocando (*r*). Hos malesuados, ubi ad Nos deferantur, non impune abituros esse pollicemur: Illos vero, si ter a suis Parochis moniti non resipuerint, nimioque adhuc vino indulgentes inebriari non desinent, in carcerem detrudendos, perque octo dies retinendos mandabimus, ubi pane tantum, & aqua contenti debitam luent intemperantiae suae poenam.

(*r*) Syn. Tuscul. p. 2. c. 3. art. 1. n. 6.

TITULUS IX.

De mensualibus conscientiae Casuum conferentiis.

I. Fatale Christiano cuicumque homini, sed Ecclesiae praecipue Ministris otium effugere tanti interest, quanti & vitiis carere, & abundare virtutibus. *Fugienda proinde otiositas*, ita opportune Bernardus (*a*), *mater vitiorum*, *noverca virtutum*. Utinam vero Sacerdotibus plurimis, plurimisque Clericis verba illa Evangelici Patrisfamilias (*b*) *Quid hic statis tota die otiosi?* dici non possent, nec quod Propheta deflebat (*c*) *Dispersos esse lapides Sanctuarii in capite omnium platearum*, nostra etiam aetate comprobaretur. Malo huic gravissimo, quo maximam sibi parant, populoque perniciem, occurrere facile poterunt, si animum adjiciant ad studia, iisque praesertim dent operam, quae viros Ecclesiasticos decent. Id jam inde a Nostri Episcopatus exordio litteris hac de re datis (*d*) vehementer optare indicavimus, quod hic quoque juvat in omnium memoriam redigere, ut non modo Nostrae obsequantur voluntati, verum proprio etiam muneri, quod praecipuum est, satisfaciant.

II. Quod fuit in veteri Lege jam scriptum (*e*) *Labia Sacerdotum custodiant scientiam*, & *legem requirant ex ore ejus*, ad novi foederis Sacerdotes strictius, fortiusque spectare, nemo inficias ibit, qui nunc eos sal terrae (*f*), nunc lucem Mundi (*g*), nunc omnium gentium Doctores (*h*) a Christo Domino nuncupatos esse meminerit. Quamvis enim, ut sapientissime mo-

(*a*) Div. Bernardi de Consid. ad Eugen. l. 2. c. 13.
(*b*) Matth. 20. 6.
(*c*) Thren. 4. 1.
(*d*) Epist. Pastoral. 20. Jan. 1780.
(*e*) Aggeae 2. 12.
(*f*) Matth. 5. 13.
(*g*) Matth. 5. 14.
(*h*) Matth. 28. 19.

net Angelicus Doctor (*i*), non omnes pari teneantur scientia pollere, cum non pari omnes ministerio fungantur, nefas est tamen cuique, quae sui sunt officii (*k*), ignorare. Itaque non Parochi tantum, vel Confessarii, sed & simplices Sacerdotes, & Clerici ipsi modos omnes adhibere debeat majorum nostrorum instituto praescriptos, unde aut sibi comparent, aut jam comparatam teneant Liturgicarum praesertim, ac Theologico-Moralium rerum disciplinam. In hunc sane finem singulis in Dioecesibus casuum conscientiae, sacrorumque Rituum decretae sunt Congregationes, ex quibus Pastores Sanctissimi, ac primo quidem D. Carolus (*l*) maximam sibi, Clerisque suis spoponderunt utilitatem. Congregationes hasce, exercitationesque in Nostras quoque Dioeceses jam dudum fuisse invectas, haud probe possumus gratulari, quin aeque dolere multorum debeamus ignaviam, negligentiamque, qua turpiter victi aut ab iis absunt, aut taciti, inutilesque spectatores intersunt. Id ne facile imposterum accidat, Synodali praecepto haec, quae sequuntur, edicimus.

III. Singulis quibusque mensibus, Octobre, Novembre, Decembre exceptis, die quinta decima, aut ei poximiori, si impedita illa fuerit, in Civitate coram Nobis, & in Aula Palatii Nostri Episcopalis, seu coram Nostro Vicario Generali; in Dioecesi coram Vicariis Foraneis conventus agetur, quem majoris aeris campani sonitus ab Ecclesia Cathedrali in Civitate, a Collegiatis editus in Dioecesi annuntiabit. Synodalium harum Constitutionum lectio, quae, donec Ecclesiastici conveniant omnes, a Sacerdote aliquo, vel etiam a Clerico fiet, initium dabit, qua, Congregationis Praeside jubente, absoluta, hymnus recitabitur *Veni Creator*, dictisque a Praeside ipso orationibus de

(*i*) D. Thom. in 4. Sententiar. dist. 24. q. 1. art. 3. ad 1.
(*k*) Can. *Nulli* 4. dist. 38.
(*l*) D. Carol. in Act. Eccl. Mediolanen. p. 4.

Spiritu Sancto, de B. Maria, & *Actiones nostras &c* congregandorum per Cancellarium legetur Cathalogus, ut praesentes, absentesque innotescant. Tria mox extrahentur a duabus Urnis nomina, duo scilicet Parochi, & Confessarii, sive etiam simplicis Sacerdotis, prout tamen in more est, Clerici tertium, lectisque quaestionibus, duabus nempe ad Moralem Theologiam spectantibus, tertia ad Sacrorum Rituum materiam, quae quidem ad Nostri Kalendarii calcem appositae de more erunt, responsum quisque, sortitionis sequutus ordinem, dabit. Postremus omnium suam Theologus Noster proferet in medium sententiam, quam e sanioribus deductam fontibus diserte, luculenterque tum rationibus, tum auctoribus confirmabit, quod in Dioecesi praestabunt delegati a Nobis Sacerdotes, iisque expletis, pius aliquis per breve temporis spatium ad meditationem accomodatus legetur liber, ac tandem dictis *Confirma haec Deus &c.*, & oratione *Agimus &c.*, dimittetur Conventus.

IV. Praescriptam a Benedicto XIII. (*m*) jubentes servari methodum nihil profecto novi statuimus, nec grave imponimus onus, si, quod ille voluit hebdomadis singulis, ne singulis quidem mensibus in utraque Nostra Dioecesi faciendum esse decernimus. Ejusdem autem Pontificis menti inhaerentes (*n*) aeque ac saepe editis a Sacra Concilii Congregatione decretis (*o*) Dignitates omnes, Canonicos tum Cathedralium, tum Collegiatarum, Parochos, Confessarios, simplices Praesbyteros, atque etiam Clericos in Sacris Ordinibus constitutos ex Sacrae ipsius Congregationis Concilii mente serio monitos volumus, ut menstruis hisce omnino intersint exercitationibus sub poena ju-

(*m*) In Append. Con. Rom sub Bened XIII n. 17.

(*n*) Id. Bened. XIII. in Con. Rom. t. 15 c. 9.

(*o*) S. C. C. in Fundana 1618. in Urbinaten. 2. Maii 1663. in Accerrarum 23. Aug. 1727. in Salernitana 27. Septem. 1732. in Larinen. 30. Aug. 1732.

horum trium ab absentibus Parochis, & julii unius a coeteris simplicibus quibuslibet Sacerdotibus legitimo non detentis impedimento solvenda (*p*), quam etiam pro arbitrio, & contumaciae ratione Nobis reservamus augendam. Nulla tamen alicui proderit excusatio, nisi die praecedenti ad Nos fuerit, aut ad eos, qui Nostras supplebunt vices delata, & fide digno comprobata testimonio (*q*). Regulares Confessiones audiendi facultate donati, qui suis in Domibus Morales non habent Lectiones, indicatam servare legem si renuant, facultate eadem sciant se jure privandos; Minorum vero Ordinum Clerici sua hac in re negligentia ad altiores gradus ascensum omnino sibi praecludent.

V. Datae quaestionibus responsiones Cancellario Nostro in Civitate scripto exaratae tradentur, in Dioecesi Vicariis Foraneis, qui eas ad Nos mittendas curabunt. Subjectae oculis singulae indicabunt Nobis fidelius, quantum quisque *habeat scientiam discernendi inter sanctum, & profanum, inter pollutum, & mundum* (*r*), unde & quos probare occasione data possimus, & quos debeamus rejicere, opportune sciamus. Sorte delecti propositum solvere casum negantes pro absentibus habebuntur, poenasque absentium luent; quod de iis pariter sancimus, qui fortasse aderunt veste non induti talari. Suam cuilibet sive post tertium, sive post Theologi Nostri decisionem aperire mentem, & objectiones, difficultatesque proponere fas semper erit, modeste tamen, & graviter, ut res ipsa postulat, locusque, & consessus. De Sacris

---

(*p*) Syn. Civit. Castelli 1766. act. 3. c. 5. n. 2. Syn. Pisauren. 1742. Sess. 1. t. 5. n. 15. Syn. Barusii t. 34. Syn. Castelli c. 5. Syn. Fabretti c. 6. §. *Qui tamen*. Syn. Bajardi p. 1. c. 6. §. *Si autem* S. C. C. in respons. ad secundam Nostram relationem 15. Aug. 1787.

(*q*) Syn. Callien. 1708. t. 1. c. 8. §. 7. Syn. Castelli loc. cit.

(*r*) Levit. 10. 10.


itidem Ritibus vel ad Missae celebrationem spectantibus, vel ad Sacramentorum administrationem par aeque potestas erit instituendi sermonem, quem eo utiliorem fore confidimus, quo frequentiorem.

VI. Haec sunt, quae de Fidei, morumque doctrina sive memoranda, sive decernenda esse duximus. Nihil aliud restat pro Sessionis hujusce coronide; nisi ut fideles omnes, atque Ecclesiasticos in primis viros curae Nostrae concreditos Apostoli verbis (s) commoneamus, quod scilicet *non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur*. Quare & ea omnia servare studeant, quae pro spirituali eorum bono praescripsimus, & suis instent apud Deum precibus, ut, quot quot hic sumus, relata salutis monita ipso largiente moribus, & vita teneamus (t).

SESSIONIS PRIMAE FINIS.



(s) Rom. 2. 13.
(t) Eccl. in orat. Dom. in Albis.




SESSIO SECUNDA.

De Personis.

TITULUS I.

De Vita, & Honestate Clericorum.

I.  lerici, Hyeronimo teste, (a) *ita vocantur vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, idest pars Clericorum est. Qui autem vel ipse Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & possideatur a Domino. Quod si quippiam aliud habuerit praeter Dominum, pars ejus non est Dominus.* Gravissima hac Ecclesiastici nostri sententia edocti facile intelligent, quid sibi agendum sit, quidve fugiendum. Eos profecto sic decet *vitam, moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, in-*

(a) D. Hieron. Ep. ad Nepotian.

sessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum praeseferant (*b*). Quod quidem tanti momenti est, ut, cum inde coeteri sumant quod imitentur, certa sit spiritualis populorum ruina, si Clericorum reprehensione digna sit vita. Hac ducti potissimum consideratione, ne, qui populis exemplo esse debent, a recta vivendi ratione aberrent, neve Nos subditorum neglectae emendationis condignas, Deo vindice, solvamus poenas, praecipua hic disciplinae capita ad Clericorum vitam, honestamque spectantia perstringimus, eaque Synodali lege firmata ab omnibus Dioecesis Nostrae, cujusque sint ordinis, ac dignitatis, Clericis, & Sacerdotibus servari omnino mandamus.

II. Ab habitu, unde Sacrosancta Synodus Tridentina Clericalis modestiae signa auspicatur (*c*), initium Nos quoque sumemus. Quemadmodum igitur nemini, qui Clericali non fuerit initiatus Tonsura, Clericalem, sine expressa Nostra licentia induere vestem fas erit (*d*), ita nulli fas erit Clerico vestem aliam induere, quam sibi propriam. Propria autem vestis est Clericorum nigri coloris, oblonga forma, & ad talos usque deducta, orbiculis anteriori parte a collo ad pedes firmata cum pallio coloris ejusdem, ejusdemque omnino longitudinis. Talari hac veste, pallioque indutos quotidie Clericos Nostros vellemus in minoribus etiam constitutos Ordinibus, sic enim tum modestiae suae, tum suae vocationis ad gradus altiores certum argumentum praeberent. Diaconis tamen, Subdiaconis, Clericis Beneficiatis, & Sacerdotibus universis, qui Civitatem, aut Oppida incolunt, expresse praecipimus, ut horis antemeridianis non nisi eo

(*b*) Con. Trid. Sess. 22. de Ref. c. 1.

(*c*) Trid. loc. cit.

(*d*) Brasch. Promptuar. c. 46. n. 27. Syn. Ancon. 1779. p. 1. t. 1. de habitu &c. Syn. Bajardi p. 2. c. 9. §. *De Tonsurand.*

habitu indutos se praebeant visendos, quod aeque Dignitatibus, Canonicis, aliisque Choro addictis injungimus, etiamsi non sint Sacerdotes, atque ad vespertinas tantum canendas se conferant horas (*e*). Qui secus fecerit nec reprehensionem effugiet Nostram, nec, si fuerit contumax, poenam (*f*). Breviori cum talari veste uti pallio, sed nigro semper, nec unquam manicato permittimus hyemali tempore, & nive, pluviaque ingruente. Summa autem laude censebimus eos omnes dignos, qui, ut plurimi honestissime nunc quoque faciunt, integra die, & praecipue, si festa illa sit, Ecclesiasticam praedictam vestem detulerint. Rurales Parochos, Praesbyterosque, qui ruri degunt, ut toto saltem festivo die sic incedant induti, enixe hortamur (*g*).

III. Vestium contractiorum usus a primis fere Ecclesiae saeculis interdictus Clericis fuit (*h*). Adeo tamen usus ille, imo vero abusus nostra hac irrepsit aetate, ut quod jam antea fuisset omnino damnandum, quadam nunc infelici necessitate tolerandum videatur. Eas igitur Praedecessorum Nostrorum exemplo & Nos permittimus, dummodo brevissimae illae non sint, quas *Saga* antiquitus, nunc vulgo dictitant *Sarghe*, & nigri sint omnino coloris, anteriori semper parte claudantur, atque Ecclesiasticam sim-

(*e*) S. C. C. in Salernitana 27. Sept. 1732. ad 2. in Bissaciarum 15. Mart. 1738. ad 10. in Spoletin. 28. Jan. 1764. Syn. Civit. Castelli 1766. act. 3. c. 1. n. 3. Syn. Ancon. 1779. p. 1. t. 1. de habit., & Tonsur. Cleric.

(*f*) Conc Trident. Sess. 14. c. 6. de Ref. Xistus V. Const. *Cum Sacrosanctum* 9. Jan. 1585., & Const. *Pastoralis* Edict. Urbis 20. Decembr. 1724. confirm. a Bened. XIII. in Conc. Rom. t. 16. c. 3. de vit. & honest. Cleric. Decret. S. C. C. sup. relat., & Syn. praedictae, aliaeque plurimae.

(*g*) Bened. XIV. Notif. 71. Append. ad Syn. Baptistelli §. 13. n. 6.

(*h*) Greg. Magn. vit. a Johan. Diac. l. 1. c. 13. Idem Greg. Magn. l. 3. Ep. 24. l. 7. Epist. 2. & 3. Conc. Matisconen. Ann. 581. Can. 5. Conc. Suession. Ann. 744. c. 3.

plicitatem, non artificiosam Laicorum praeseferant elegantiam. *Talia enim*, ut docet Bernardus (*i*), *debent esse vestimenta Servorum Dei, in quibus nihil possit notari novitatis, nihil superfluitatis, nihil vanitatis, nihil quod pertineat ad superbiam, & vanam gloriam*. Caveant itaque Clerici Nostri universi, iique in primis, qui aucti sunt Beneficiis, ne quovis unquam interdiu, noctuve e domo efferant pedem, nisi nigri supradicti coloris induti veste, quemadmodum calceis etiam, & tibialibus, coeterisque Ecclesiasticis distincti signis, inter quae lineam praesertim vittam collo circumductam, & *Collare* dictam recensemus, quam extra domum nullo unquam tempore licebit deponere, neque in ejus locum aut sericam fasciam, aut sudariolum substituere (*k*). Quod si e Civitate, Oppidisque discedant non deambulaturi tantum, sed iter revera facturi, tunc solum viatorias induere poterunt vestes, modesti tamen, quamvis non nigri coloris, nec auro, argentove, sive alio quopiam ornamento nitentes, quae omnia absolute interdicimus (*l*): Pallium autem subobscuri coloris non instructum manicis, nisi itineris caussa, nec ad luxum compositum brumali tempore, ac pluvio tam in Urbe, quam in Oppidis deferri posse indulgemus. Pileum vetamus non integre nigrum, aut militum aptatum more, atque ac albicantes, seu versicolores pileolos, amoto quocumque itineris etiam praetextu: annulum item, si nulla dignitatis, atque officii postulet ratio (*m*), qui tamen in Missae celebratione deponendus omnino erit (*n*). Mollibus tandem ne vestiantur Altaris Ministri, serio monemus, neque eos imitentur, quos muliebrem affectantes cultum Hieronymus, & Ber-

(*i*) Bernard. de mod ben. vivend. Serm. 9.

(*k*) Clem. 1. de vit., & honest. Cler. Bened. XIII. cit. Edict. Conc. Mediol. 1. p. 2. t. de Cleric. vest. § *Collare*.

(*l*) Cap. *Clerici officium* de vit. & honest. Cler. Syn. omnes cit.

(*m*) Cap. 15. de vit. & honest. Cler

(*n*) Conc. Rom. t. 16. c. 3. Bened. XIV. Notif. 29. §. 4. n. 15.

nardus sugillant (o). At laceras aeque, sordidasque vestes rejiciant tamquam ordini suo, dignitatique indecoras. Harum quamcumque partem violantes Sanctionum, juxta Sacrorum sententiam Canonum librarum cerae albae trium pro prima vice, dupli pro secunda, pro tertia autem graviorem arbitrio Nostro (p) subibunt, etiam suspensionis si opus fuerit, poenam.

IV. A vestiaria re Clericorum ad Coronam, Tonsuramque convertentes sermonem expresse praecipimus, ut eam quisque deferat ordini suo congruentem, nec aliquem unquam pudeat, palam se declarare regali Sacerdotio insignitum. Itaque Sacerdotalis Coronae forma in orbem ducta late, ampleque pateat unciis quatuor, Diaconalis uncia una minor, Subdiaconalis aliquantulum angustior; Minorumque denique Ordinum Corona lata sit undique unciis duabus (q). Tonsos habeant tum in Majoribus Ordinibus, tum in Minoribus constituti undequaque capillos, nec comam nutrire audeant, aut ornare cincinnis, aut cyprio conspergére pulvere. Adscititiam pariter caesariem sive quae integre capiti aptatur, sive quae in gyro tantum ad aures pendet, non assumant, nisi facta a Nobis potestate, eaque utantur non vanitatis, sed valetudinis caussa (r). His renuentes se conformari praeceptis, inflictas a Sacris juribus sciant subituros esse poenas, quae ad officiorum usque, Beneficiorumque privationem procedunt (s). Omnibus interim sic illas

(o) D. Bernard. Epist. ad Henric. D. Hieron. Epist. 22. ad Eustoch.

(p) Trid. cit. Sess. 14. c. 6. de Ref. Clem. V. Const. *Quoniam*. Xist. V. cit. Const. *Cum Sacrosancta*, & *Pastoralis*. Bened. XIV. Notif. 71. & in Edict. Urbis public. die 1. Decembr. 1740. Syn. suprad., & praesertim Civit. Castelli 1766.

(q) Conc. Mediol. V p. 3. t. 4. de his, quae ad Cler. honest. attinent. Conc. Provinc. Mediol. 4. p. 3. t. *Monitiones* §. *In omne*.

(r) Conc. Rom. cit. t. 16. c. 3. Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 11. c. 9.

(s) Cap. *A Nobis* 5. de Apostatis. Conc. Trid. loc. cit. Xist.

indictas volumus, ut nemo unquam aut sibi excusationem ex ignorantia polliceatur, aut alia quacumque ex caussa earum retardandam, continendamque speret executionem.

V. *Theatra, ludos, venationes, ac musica spectacula Ecclesia damnat*. Gravissima haec Divi Epiphanii sunt verba (*t*), quae ideo hic usurpamus, ut Ecclesiae Ministri aliquando intelligant, ea nullo pacto sibi licere, quae coeteris quoque Christianis Patrum testimonio sunt vetita. Choreis igitur interesse sive publicis, sive privatis, quae inter solos non sint domesticos, & ad quas accesserint non casu aliquo, imprudentesque, sed consulto, dataque opera, aut eas ducere, aut cum aliis saltare nemo audeat Sacerdotum, Clericorumque, cujusque sint dignitatis sub poena suspensionis a Divinis ipso facto incurrendae, Nobisque reservatae pro iis, qui in Majoribus sunt constituti, & carceris pro constitutis in Minoribus Ordinibus (*u*). Quibus item poenis subjectos illico volumus tum Clericos, tum Sacerdotes, qui larvati praesumant incedere, vel circumducere larvas, vel in eas jacere per fora, viasque bellaria (*x*). Prohibemus pariter, ne scoenicis adsint mimorum, histrionumque, aut foeminarum repraesentationibus, ne comaedias instituant, aut dirigant, neve in ipsis quamcumque agant partem, verba etiam actoribus subjiciendo, aut musica pulsando instrumenta (*y*). Legibus hisce quos-

V. Const. *Cum Sacrosancta*. Bened. XIII. Const. *Catholicae Ecclesiae*.

(*t*) Epiph. expos. Fidei n. 24.

(*u*) S. C. Episcoporum in Forosempronien. 24. Maii 1710. Ead. in S. Severini 5 Sept. 1712., & in Anagnin. 18. Feb. 1718. Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 11. c. 10. n. 11. 12, & Notif. 37., & 76. Syn. recentiores passim. Syn. Civit. Castelli c. 20. §. *Clara*. Syn. Bajardi p. 3. c. 1. de choreis, larvis & Syn. Pisauren. 1742 sess. 1 tit. 5.

(*x*) Bened. XIV., & Syn. Bajardi loc. cit.

(*y*) Syn. Urbin. 1753. Civit. Castellanae 1756. Viterbien. 1762. Tusculan. 1763. Civit. Castelli 1766. Firman. 1773. Fo-

cumque noverimus refractarios, in Religiosam jubebimus secedere domum, ibique per dies decem spiritualibus vacare exercitationibus; honestas quoque, privatasque interdicturi Clericis omnibus comaedias, si aut nimium in ipsis frequentes fuerint, aut parum Ecclesiasticae modestiae, gravitatisque fuerint memores. Caveant insuper eadem sub poena, ne diu, noctuve vias carmina modulantes circumeant, vel praebeant se canentibus comites: ne bacchanalium tempore personatis se immisceant hominibus: ne cursitantes prosequantur per vias tauros, ac boves, vocesque suas clamitantis populi adjungant vociferationibus (z). Carcere autem illos immediate puniemus, qui suae conditionis prorsus obliti aut canes in boves agent, aut eos ab ipsis avellere lanionum more curabunt. *Vitanda ergo spectacula*; sermonem hunc Lactantii sententia absolvat (*aa*) *non solum ne quid vitiorum pectoribus insideat, sed ne cujus nos voluptatis consuetudo deliniat, & a Deo, atque a bonis operibus avertat*.

VI. Ludos omnes Clericis ita Sacri prohibent Canones, ut gravissimas statuant ipsis ludentibus poenas (*bb*). Majorum igitur sapientissimis inhaerentes decretis praecipimus, ne Dioecesis Nostrae Ecclesiastici, quicumque sint specialiter etiam nominandi, iis unquam dent operam ludis, qui magis a fortuna pendent, quam ab industria, sive aleis id fiat, sive taxil-

rosempronien. 1777. Anconit. 1779. Ferrarien. 1781. Syn. Bajardi loc. cit.

(z) Conc. Pontigonen. ann. 876. c. 9. Conc. Senonen. 1528. decr. 23. Conc. Moguntin 1549. c. 74. Conc. Cameracen. 1565. Conc. Mediolanen. 1. p. 2. t. 23. Syn. Callien. 1708. t. 5. c. 1. § 14. Syn. Fulgin. 1722. c. 13. n. 19. Syn. Civit. Castelli, Anconit., & Bajardi loc. cit.

(*aa*) Lactant. l. 6. Institut. c. 20.

(*bb*) Can. 42., & 43. inter Apostolicos Can. *Episcopus* dist. 25. ibique Glossa. Conc. Trid. sess. 22. de Ref. c. 1. & sess 24. de Ref. c. 12. Conc. Rom., & Bened. XIV. de Syn. loc. nuper cit.

lis, sive alia quavis ratione. Item publicos omnes, atque in publico loco, utpote aromatariorum officinis, apothecis, tabernis, domibusque ad ludendum conductis vetamus ludos, itemque ludorum omnium privatorum etiam, ac honestiorum frequentiam, prolixitatem, immoderantiam. Nec proludentibus sponsores esse Clericos volumus, nec magna proposita pecunia ludere, etiamsi honesti, privatique sint ludi. Ludos autem declaramus honestos, qui animi relaxandi, valetudinisque firmandae gratia exercentur, eosque tantum permittimus, remotis tamen semper in locis, & Clericalibus signis nunqûam dimissis (*cc*).

VII. *Quam sit modestia Clericali indignum, qui paullo ante Breviarium manibus tractabat, eum accipitrem deferre, quique cum Angelis laudes Deo persolvebat, eum inter Canum latratus, ac multitudinem versari, & incompositis obstrepere vocibus, omnes satis intelligunt* (*dd*). Neminem hinc in Clero Nostro venatorem vellemus, nisi animarum, atque ideo sub poenis a Sacris Cânonibus statutis (*ee*) non modo clamorosas inhibemus Clericis venationes, verum etiam alias quascumque, venia in scriptis a Nobis prius non obtenta (*ff*). Hanc autem dabimus pro personarum, ac temporum qualitate, jejuniorum tamen, festisque diebus semper exceptis. Quum vero Ecclesiasticis viris, quos Christi mansuetudinis esse decet in primis imitatores, ita sit vetitus armorum usus, ut ea deferentes etiam Excommunicatione Sacri Canones ple-

---

(*cc*) Conc. Prov. Mediolanen. 1. p. 2. de Armis, Ludis &c. Syn. omnes sup. relat. Syn. Barusii t. 8. §. *Conditores*. Syn. Castellii c. 20. §. *Vetitum*. Syn. Fabretti c. 14. §. *Ludos*. Syn. Bajardi loc. cit. de ludo.

(*dd*) Conc. Aquilejen. 1. de vit. & honest. Cler.

(*ee*) Can. *Episcop.* 1. de Cleric. venat. Cap. *omnibus* 2. tit. eod. Conc. Lateran. IV. Can. 15.

(*ff*) Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 11. c. 10. n. 6. Syn. Fulginaten. Tuscul. Anconit. & Bajardi sup. cit.

ctendos esse decernant (*gg*), hinc Synodali hac Nostra Lege facultatem quamcumque irritam declarantes, illa omnino prohibemus. Quibus autem venatico permissum erit uti sclopo, quod quidem sub poena amissionis armorum, & carceris nemo sibi propria vindicabit auctoritate, sed a Nostra semper licentia in scriptis danda pendebit (*hh*), sub eadem poena praecipimus, ne ulla prorsus occasione audeant Laicorum instar armati sclopo Civitatem, atque Oppida circumire, poenasque etiam graviores indicimus, si quibusvis armis instructi, non casu aliquo, sed data opera, Missas, Officiaque celebraturi, ad rurales Ecclesias accedant.

VIII. Saecularia convivia, ac praesertim nuptialia, in quibus saepe jacturam modestia patitur, omnino Clerici fugiant, nisi in primo, aut secundo Sponsis consanguinei sint gradu (*ii*); neque unquam adeo vilescant, ut coquinam, aut epulum curent. A frequentioribus abstineant viis, neque hac, illacque circumcursando indignam vagantis animi praeseferant mobilitatem. Fora declinent, & publica loca, easque potissimum officinas, in quas otiosi conveniunt homines (*kk*), illud D. Hieronimi (*ll*) memoria tenentes, quod *Clericum solitudo facit, non publicum*, & D. Leonis memorabile dictum, quod *quae in aliis Ecclesiae membris non vocantur ad culpam, in illis tamen habentur illicita* (*mm*).

IX. *Quem vero a Laicorum turmis professionis conditio separat, turpe item est, non solum si domestica conversatio, sed etiam si peculii abominanda proprie-*

(*gg*) Cap. Clerici arma 2. de vit., & honest. Cleric. Conc. Mediolanen. 1. p. 1. t. de Armis &c.

(*hh*) Bened. XIV. loc. cit. Syn. sup. relat. aliaeque plurimae.

(*ii*) Can. *Praesbyteri* dist. 34. Conc. Aquilejen. 1. de vit. & honest. Cler. Syn. plurimae.

(*kk*) Syn. Fulgin. Baptistelli c. 13. n. 24.

(*ll*) D. Hieron. Epist. ad Oceanum.

(*mm*) D. Leo Epist. 84. ad Anast.

tas laicum esse convincat (*nn*). A negotiationibus igitur se temperent Clerici omnino, easque neque per se, neque per interpositas exerceant personas, quocumque etiam charitatis, suaeque alendae familiae remoto praetextu (*oo*). Caveant insuper, ne laicorum more, atque apparatu ad nundinas, mercatusque eant, ne boves nisi ad proprios colendos agros, vel oves, sues, aliaque id genus animalia locationis, aut societatis titulo conducant, sociove tradant, neque alienorum praediorum, aut armentorum fiant conductores (*pp*). Cambia etiam sibi esse vetitum inire sciant, vectigalium, collectarum, publicorumque proventuum exactionem suscipere (*qq*), nec non Laicis quantumvis nobilibus, sive in re domestica administranda, sive in extraneis quibusque agendis negotiis operam, industriamque praestare (*rr*). Medicinam pariter, ac Chirurgiam exercere, Judicis, Advocati, Causidici, Tabellionisque, nisi in casibus a jure permissis, Nobisque annuentibus munera obire; coram Laico Judice juramentum praestare, testimonium dicere, alterius crimen deferre, accusationemque, sive querelam instruere absolute prohibemus (*ss*), poenisque obnoxios gravissimis, secus agentes Sacrorum Ca-

(*nn*) D. Petr. Damian. opusc. 4. de comm. vit. Can.

(*oo*) Conc. Chalcedonen. ann. 431. can. 3 Conc. Arelat. 2. Can. 14. Conc. Tarracon. Can. 2. Bened. XIV. Const. *Apostolicae* 1741. Clem. XIII. Encycl. *Cum primum* 1759.

(*pp*) C. *Pervenit* 36. ap. Fagnan. C. *Placuit* caus. 21. q. 3. *Multa* 1. ne Cler. vel Monach. ibiq. Glossa.

(*qq*) Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 10. c. 6. n. 3. Clem. XIII. Encycl. cit.

(*rr*) Conc. Rom. ann. 1583. Conc. Mediolanen. 1. p. 2. t. de negot. Saecular. Encycl. S. C. Episcoporum 16. Mart. 1697. Syn. Bajardi p. 3. c. 1. de Famulatu &c.

(*ss*) C. *Cyprianus* 4. causs. 2. q. 3. C *Nullus*. C. *Testimonium* 11. q. 1. C. *Super prudentiae* 14. q. 2. C. *Multa*. C. *Sacerdotibus*. C. *Clericis*. Ne Cler. vel Monach. Clem. XI. decr. de reform. tribunal. 9. Febr. 1708.

nonum auctoritate decernimus. Tandem, neque alienam curam, aut tutelam assumere; neque infantes de Sacro suscipere Fonte, aut in Sacramento Confirmationis puellorum sponsores fieri, neque se se pro laicis personis fideijussores (*tt*) omnino volumus Clericos, ac Sacerdotes, quibus item districte vetamus, ne absque Nostra licentia singulis quibusque vicibus obtinenda in alterius gratiam, vel damnum quocumque modo, sive intra, sive extra judicium quidquam testentur, condignam aliter subituri arbitrio Nostro aut pecuniariam, aut pro gravitate culpae graviorem etiam punitionem (*uu*).

X. Non dominantes in Cleris, haec dum praecepta conscribere pro Pastoralis officii munere cogimur, parcere saltem minis vellemus. *Eo tamen usque*, ut verbis utamur antiqui Ecclesiae Patris, quae nimis, heu! nostris conveniunt temporibus (*xx*), *eo usque enervatus est Ecclesiasticae disciplinae vigor, & ita omni languore vitiorum praecipitatur in pejus, ut jam non vitiis excusatio, sed auctoritas detur*; proindeque necessitas ipsa suadeat gliscentem morum intemperantiam severitate compescere. Quum vero illud Nobis in primis curandum sit, ut Sacri Ecclesiae Ministri non modo, quam Deo voverunt, castitatem sartam tectamque tueantur, sed etiam testimonium habeant bonum ab iis, qui foris sunt (*yy*), hinc Clericis omnibus praesertim beneficiariis, inque Majoribus Ordinibus constitutis absolute interdicimus, ne foeminis unquam quovis sub titulo famulentur, ne cum eis familiarius, quam Ecclesiastica ferat modestia, neque publice agant, neque privatim, nec cujuscumque sint aetatis, & conditionis, nisi in primo

(*tt*) C. 1. de Fideijussor C. *Se quidem* 11. q. 1. act. Mediolan. p. 1. §. *Ne pro aliis*.

(*uu*) Syn. Barusii, Castelli, Fabretti, Bajardi loc. cit.

(*xx*) Tract. de Spectacul. inter oper. S. Cypriani pag. 339.

(*yy*) 1. Timot. 3. 7.

sibi conjunctae sint gradu, inserto ipsis brachio auxilium praestent, vel aliter gradientes suffulciant, quinimo nec eorum lateribus praesertim nocturno tempore, & soli, atque in locis ab hominum frequentia semotis adhaereant (zz). Quinque aureorum poena inobediens quisque multabitur, ac suspensione in subsidium, cui poenae obnoxii pariter erunt, qui Nobis inconsultis legere, scribere, canere, aliasque id genus artes foeminas docere praesumant.

XI. Quod si quamcumque cum mulieribus conversationem ut rem periculi plenam evitare Clerici debent, multo sane fortius oportet ab ipsarum contubernio eos abhorrere. Monitum hac de re audiant sapientissimum D. Cypriani (*aaa*) *Cum Clerico foemina nulla commaneat, non despecta, non vetula, sine affinitate peculiariter suscipienda ob domesticum obsequium, quia magis illic cito delinquitur, ubi sine suspicione securum potest esse delictum.* Affinibus igitur exceptis, & consanguineis in primo, aut secundo tantum gradu conjunctis (*bbb*), dummodo integrae omnino sint famae, caeteras omnes extraneas mulieres, quamvis *Agapetes* illae, ac *Subintroductae* non sint, quas uno ore veteres Canones, Patresque Ecclesiae damnarunt (*ccc*), titulo quocumque penes se retinere, aut etiam pro servitio conducere sub gravibus poenis arbitrio Nostro infligendis tum Parochis, tum aliis quibuslibet Sacerdotibus, & Clericis prohibemus, No-

(zz) Conc. Mediol. 1 p. 2. de neg. Saecul § *Neve Praecursor.* Syn. Urbin. 1753. Sect. 3. t. 1. § 7. Syn. Civit. Castelli 1766. act. 3. c. 1. n. 12. Syn. Ancon. 1779. p. 1. t. 1. de cohabit, &c. Syn. Ferrarien 1781. p. 4. c. 1. §. 9 Syn. Bajardi loc. cit.

(*aaa*) D. Cyprian. sive Auctor. de singular Cleric.

(*bbb*) Conc. Nicaen. relat. in cap. Interdixit dist. 33. Bened. XIV. de Syn. l. 11. c. 4. n. 4.

(*ccc*) D. Epiphan. haeres. 63. & haeres. 67. n. 8. D. Gregor. Nazianz. carm. 3. D. Joan. Chrysost. lib. contr. Subintroduct. D. Hieron. Epist. ad Eustoch. Conc. Nicaen. sup. relat. Can. 3. Conc. Cartagin. 3. Can. 25.

stra prius non obtenta in scriptis venia, quam tamen nullimode dabimus, nisi eas & probatae honestatis, & quadragesimo majores anno esse certo testimonio constiterit (*ddd*). Quod si formali praecepto conductam foeminam dimittendi fuerint jussi, ubi intra tres dies non paruerint, sint a Divinis ipso facto suspensi. Sciant interim Clerici universi nullam Nos admissuros, si contra has leges deliquerint, excusationem, nullamque ipsis profuturam appellationem, quin indictarum suspendatur exequutio poenarum (*eee*), nec etiam privilegiorum, officiorum, litterarumque quarumlibet patentalium exhibitionem. At memores aeque eos esse volumus conditionis suae, devotaeque Deo castitatis, quae periculo exposita periclitari facile potest. *Si Sanctos viros*, finem cum Augustino huic titulo dabimus (*fff*), *incauta familiaritas mulierum, & perniciosa blandimenta vicerunt; quid de se cogitant illi, qui cum extraneis mulieribus non solum conversari, sed etiam in domo manere nec metuunt, nec erubescunt? De talibus & potest, & debet dici illud, quod de Vidua deliciosa dixit Apostolus, quia vivens mortua est.*

TITULUS II.

De iis, quae agenda a Clericis sunt.

Hactenus, quae Ecclesiasticis fugienda sunt viris innuimus, nunc quae facienda dicemus; parum

(*ddd*) Bened. XIV. de Syn. Dioeces. l. 11. c. 4. n. 5. & seqq. Notif. 82. & 83. Braschi Prompt. Synod. C. 98. n. 20. & seqq.

(*eee*) Conc. Trid. Sess. 22. de Ref. c. 1. Bened. XIV. Const. ad *Militantis* §. 21., & Const. *a Censuris*. De Syndicis, & Conservat. Regularium, de Subcollect. Spolior. aliisque official. Rev. Cam. de patentat. S. Offic. alm. Dom. Laur. vid. plur. resol. apud Monacell. passim, & Syn. Fulgin. 1722. Syn. Hortan. 1756. Syn. Civit. Castelli 1766.

(*fff*) D. Aug. Enarr. in Psalm. 50. n 3.

est enim, ut declinent a malo, nisi faciant bonum (*a*). Eos igitur obsecramus in Domino, ut illud vitae genus instituant, quo *digne ambulent vocatione qua vocati sunt* (*b*), *orationi instent* (*c*), *attendant lectioni, exhortationi, & doctrinae* (*d*); *exemplum itaque sint fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in Fide, in castitate* (*e*), *haec enim proponentes fratribus boni erunt Ministri Christi Jesu enutriti verbo Fidei, & bono doctrinae* (*f*), dumque ita saluti prospicient suae, spirituali aeque proximorum utilitati studentes, inutilis Evangelici servi condemnationem provide effugient (*g*).

II. Haec quantum sibi conveniant, facile tum Clerici sentient, tum Sacerdotes, qui *ex hominibus assumpti pro hominibus constituuntur in iis, quae sunt ad Deum* (*h*). Habent hi proprias, assignatasque, quas aeterno Numini offerre debent in dies singulos totius Ecclesiae nomine preces, laudesque, nec ipsos credimus ignorare, quam dignum, sanctumque adgrediantur opus, quum horas Canonicas recitandas suscipiunt. *Attente igitur, studiose, pie, religiose, non mente vaga, non vagis oculis, non indecenti corporis statu* (*i*) tale persolvant viventi, ac videnti Deo debitum, neque unquam quasi gravi quodam se se pondere exoneraturi Divina illa verba praecipiti inglomerent lingua, neque ab Ecclesia statutum, quoad fieri potest, recitationis ordinem subvertant, aut tempus. Ut autem pari omnes ritu in Nostra psallant Dioecesi, nec ulla detur erroris occasio, Kalendarium de Nostro

(*a*) Psalm. 36. p. 27.
(*b*) Ephes. 4. 1.
(*c*) Coloss. 4. 2.
(*d*) 1. Timoth. 4. 13.
(*e*) d. Epist. 4. 12.
(*f*) d. Epist. 4. 6.
(*g*) Marc. 25. 30.
(*h*) Haebr. 5. 1.
(*i*) Conc. Mediolan. 4. in Monit.

mandato quotannis edendum unusquisque sive Sacerdos, sive Clericus in Majoribus Ordinibus constitutus, aut Beneficio auctus sibi comparabit sub poena arbitraria absque spe veniae luenda (*k*).

III. Minorum Ordinum Clerici festis quibuscumque diebus in Cathedrali, si degant in Civitate, in Collegiatis, si in Oppidis degant, tamquam dictarum Ecclesiarum adscripti servitio interesse Choro debèbunt tum pro Matutinis de more canendis horis, tum pro Vespertinis; Tertiaque hora absoluta, solemni semper Missae in officiis suis ministrabunt, quod agent quoque Diaconi, ac Subdiaconi, quibus deficientibus, ipsorum supplebunt vices ultimo electi Presbyteri. Solemnioribus autem diebus Nativitatis D. N. Jesu Christi, Paschatis, Pentecostes, & Sanctorum respectivarum Ecclesiarum Titularium, ac Patronorum, nec non quotiescumque sive in Cathedralibus Nostris Ecclesiis, sive in Collegiatis habebuntur a Nobis Pontificalia juxta antiquissimam Ecclesiae consuetudinem (*l*) omnes omnino Praesbyteros, Clericosque tum Majorum Ordinum, tum Minorum iis in locis degentes, quos ipsarum respective Ecclesiarum servitio, si alias adscripti non fuerint, praesenti hoc decreto adscribimus, interesse absolute volumus sub poena julii unius romani pro qualibet solvenda vice, & Ecclesiis iisdem a deficientibus Sacerdotibus tradenda. Quoad Clericos vero, nisi diligentiae suae certum habuerint testimonium, ascensum sibi ad ordines superiores praecludent (*m*). Optamus interim vehementer, ut Sacrum

(*k*) Lit. praefix. ord. Offic. Syn. Anconit. p. 1. t. 1. de Sacram. freq. & Syn. aliae passim.

(*l*) Vid. egregium opus V. cl. Marii Lupi *de Parochiis* dissert. 3. c. 1.

(*m*) Con. Rom. Tit. 6. c. 2. S. C. C in Alexanen. 24. Jan. 1733. In Suessana 14. Jan. 1736. Syn. Baptistelli c. 13. n 10. Syn. Anconit. 1779. p. 1. t. 1. §. *De Servitio &c.* Syn. Bajardi p. 3. c. 2.

peragant Sacerdotes universi non solum festis diebus singulis, ea tamen semper, qua tantum decet celebrari Mysterium, animi, cordisque munditie, reverentia, ac pietate. (*n*): Ut sacro quotidie pari devotione Clerici adsint, serio monemus. Hi vero, si in Majoribus constituti erunt Ordinibus, Dominicis saltem diebus, si in Minoribus, diebus saltem quindenis, & Solemnioribus ad sacram Synaxim accedent (*o*).

IV. Utrosque interim meminisse plurimum juvabit, quantum Christo Jesu Domino, ac Redemptori suo debeant, quantaque aequum sit prosequi veneratione Sanctissimum ipsius Corpus Eucharisticis velatum speciebus. Nulla igitur unquam decurrat dies, qua obsequii sui testimonium Divino huic Sacramento non reddant, ut quem incessanter adorant omnes Angeli ejus (*p*), omnes aeque Ministri ejus adorare non cessent. Clerici insuper, quotquot vel in Civitatibus sunt, vel in Oppidis, cum ad Infirmos defertur, illud reverenter comitari non praetermittant talari semper habitu induti, & ex iis quatuor induti etiam Superpelliceis peristromatis hastas ubique sustineant. Virginem quoque Deiparam fidelium omnium Reginam, ac Matrem, praecipuamque Ecclesiastici Ordinis Patronam impense colant, atque ad Litanias, quae sub vesperum tum in Cathedralibus Nostris Ecclesiis recitantur, tum in Collegiatis, assidue convenire non renuant. Studeant tandem juxta Apostoli monitum (*q*) renovari spiritu mentis suae vacando saltem semel in anno spiritualibus, ut ajunt, exercitationibus. Nos quidem, ut saepe fecimus, Clero universo aptissima isthaec subsidia suppeditanda curabimus. Verum si commode id fieri quandoque ne-

(*n*) Bened. XIV. de Sacrif. Missae l. 3 c. 2. § 10. in fine.
(*o*) Conc. Trid. Sess. 23. c. 13. de Ref. Syn. Baptistelli loc. cit. n. 3 Syn. Ferrarien. 1781. p. 4. c. 1. n. 35.
(*p*) Haebr. 1: 6.
(*q*) Ephes. 4. 23.

queat, non ideo tamen salutare illud putent negligendum sibi esse Clerici Nostri consilium. Hortamur imo, & Clementis Papae XI. auctoritate monemus Dignitates, Canonicos, Parochos, Praesbyteros, caeterosque omnes militiae Ecclesiasticae adscriptos, ut in religiosam interdum secedant Domum, ibique per octo, vel decem dies maximum agant salutis aeternae negotium. Triennalis injunctae publicationis loco in Appendice exhibebimus S. Congregationis Concilii Litteras supradicti Pontificis jussu hac de re datas (*r*). Caeterum quod ad simplices attinet Clericos, ut, quod tenere debent vitae institutum, in oculis habeant, sapientissime tradita in aliena Dioecesi monita, quae eadem dabimus in Appendice, sacra esse hac quoque in Nostra volentes Synodali firmamus robore, atque adamussim observari mandamus.

V. Sed vitae, morumque integritati, quam partim huc usque innuimus, partim descripsimus, jungendam pariter doctrinam esse, Clerici sibi persuadeant, necesse est; *Doctrina enim*, juxta praeclarum D. Isidori effatum, *sine vita arrogantem facit*, *vita sine doctrina inutilem reddit* (*s*). Plura alibi cum opportune de Clericorum studiis dixerimus, illud hic unum addemus, nullam iis futuram ad gradus superiores ascensus spem, qui studiorum suorum, praesertim vero Theologicorum perspicua Nobis argumenta non dederint. Ad Praesbiteratum autem jam promoti, quemcumque teneant in Ecclesia locum, libris valedicere, ut non raro evenire videmus, nullo unquam pacto liberum sibi esse arbitrentur. Propheticum timeant oraculum; *Quia tu scientiam repulisti*, *repellam te*, *ne Sacerdotio fungaris mihi* (*t*). Quod quidem aequissimo comminatum jure ex Magno Leo-

(*r*) Vid. Append. n. 3., & 4.
(*s*) D. Isid. Hyspallen. l. 3. Sentent. c. 36.
(*t*) Oseae 4. 6.

ne discant, nam *si vix in Laicis*, ait S. Doctor, *tolerabilis videtur inscitia, quanto magis in iis, qui praesunt, nec excusatione digna est, nec venia* (*u*). Quapropter ea omnia memoria teneant, quae de Cathechesi, sacris Concionibus, Divinae Scripturae lectione, & Casuum conscientiae conferentiis in prima Sessione statuimus, nec suis unquam deesse partibus velint, non Nobis tantum, quam Deo, si secus egerint, districtam reddituri rationem.

VI. Quum vero leges quaecumque facile eludi absentia possint, nihilque sit in Ecclesia antiquius, quam Clericis interdicere, gravissimis etiam interpositis poenis, ne incertis vagentur sedibus (*x*), hinc nullus omnino neque Canonicus, neque Parochus, neque tandem simplex Sacerdos, vel etiam Clericus in Majoribus Ordinibus constitutus poterit e Dioecesi discedere, quin Nostram prius obtinuerit expresse licentiam aut verbo dandam, aut scripto, sed gratis semper, prout Nobis in Domino magis expedire videbitur (*y*). Arbitraria poena pro qualibet vice solvenda, inobedientes multabit, quos mitius adhuc tractamus, quam Sacri praescripserint Canones, & pluries decreverit Sacra Congregatio Concilii. Confidimus tamen fore, ut Ecclesiastici, quicumque sint, Nostri non coacte, sed spontanee secundum Deum (*z*), quae sui sunt muneris, quaeque tum in superiori Titulo, tum in praesenti dicta sunt, peragant, memores, quod ipsos elegit Deus,

H

(*u*) D. Leo Epist. 22.

(*x*) Can. Apost. 12. 13. Conc. Nicoen. Can. 18. Conc. Antiochen. 1. can. 3. Conc. Chalcedon. can. 5. & can. 20. Conç. Trid. Sess. 23. cap. 16. de Ref. S. Leo M. Epist. 6. S. Cyprian. Epist. 55. S. August. Epist. 63.

(*y*) S. C. C. in Terracinen. 9. Febr. 1628. in Ripana 24. Martii 1657. In Milevitana 14. Jun. 1707. In Accerrarum 23. August. 1727. In Larinen. 30. Augusti 1732., & Syn. plurimae passim.

(*z*) 1. Petr. 5. 2.

non ut sibi blandiantur, suisque indulgeant cupiditatibus, sed *ad consumationem Sanctorum in opus Ministerii, in aedificationem Corporis Christi* (*aa*).

TITULUS III.

De Dignitatibus, & Canonicis.

I. Quod primis Ecclesiae Saeculis Praesbyterium erat, Episcopi nempe Senatus, cujus consilio Ecclesiae res agebantur (*a*), nunc est Cathedrale Capitulum. Hujus autem Corporis membra, quod ad Canonum tramites vitam transigerent, Canonicos merito majores nostri appellarunt. Ex ipso igitur nomine colligi potest, quanta pollere debeant scientia, religione, pietate, qui Dignitates, & Canonicatus in Cathedralibus obtinent, quamque absonum esset, ac plane indignum, si, quos potissimum decet per universam Dioecesim bonum Christi odorem diffundere, in moribus iidem suis minus recta praeberent oculis intuentium exempla. Eos igitur & Nostros fratres, & gaudium Nostrum, Nostramque assidue coronam fore auspicantes, per Jesu Christi Redemptoris viscera hortamur, enixeque monemus, ut se se lucernas exhibeant non sub modio positas, sed super candelabrum, ut luceant omnibus, qui in Dei Domo sunt (*b*), talesque omnino esse studeant, qui ad conservandam, augendamque Ecclesiasticam disciplinam, Nosque opere, & consilio juvandos electi suo possint muneri respondere (*c*).

II. Immolare Deo Sacrificium laudis, & reddere Altissimo vota (*d*) modo lugentis Ecclesiae, modo

(*aa*) Ephes. 4. 22.
(*a*) Siric. PP. Epist. 2. Felic. PP. Epist. 4. S. Basil. Epist. 319.
(*b*) Matth. 5. 15.
(*c*) Conc. Trid. sess. 24. c. 12. de Ref.
(*d*) Psalm. 49. 14.

exultantis praecipuum est Canonicorum officium, sive Cathedralium ii sint Ecclesiarum, sive Collegiatarum. Huic ut pro viribus rite satisfaciant, recteque, quasi stipendio conducti piis fidelium largitionibus gaudent, quas iniqua prorsus sibi vindicarent usurpatione, si, quae pro temporalibus rependere tenentur, spiritualia bona negarent, aut negligentes, ac desides, nec statutas Deo persolverent de more laudes, nec pro populorum tum necessitatibus, tum peccatis humiles, assiduasque funderent preces. Quid enim aliud, qui Ecclesiasticis bonis fruuntur, quam populorum peccata manducant? Quidve magis consonum aequitati, ut qui peculiari quadam ratione domestici Dei (*e*) dici possunt, Divinis quotidie mancipentur obsequiis? Haec Nostri secum reputantes Canonici, Dignitatesque nullam patiantur unquam quoad Chori, Ecclesiaeque praescriptum sibi servitium diligentiam desiderari. Singuli igitur singulis statis quibusque diebus, atque horis ad Ecclesiam talari integra veste semper induti conveniant, datisque aeris campani signis, juxta horariam tabulam a Nobis jam adprobatam, quam sub poenis in decreto apposito indictis nemini sine expressa Nostra licentia variare licebit, graviter, modesteque incedendo, ac solemnioribus praesertim diebus debito progrediendi servato ordine (*f*) Chorum adeant, ibique ad Breviarii Romani, Nostrique Kalendarii normam Divinae Psalmodiae summa, qua par est religione, dent operam.

III. In primis autem clara, & intelligibili voce psallendum esse meminerint, neque enim fructus facerent suos tacentes, aut verba proferentes submissim, & punctandi omnino essent, ac quotidianis pri-

(*e*) Ephes. 2. 19.

(*f*) Coerem. Episcop. L. 1. c. 15. Ceccoper. lucub. Canon. l. 2. n. 42. act. Mediolan. pag. 282. §. *Hi vero*. S. C. C in Sarnen. 20. Jul. 1705. ad 1. & in Salernit. 27. Sept. 1732. ad 5.

vandi distributionibus (*g*). Hic vero monitos obiter volumus tum Capitulares quoscumque, tum caeteros omnes addictos Choro, a Sacris Canonibus stricte ipsis praecipi, ut Cantum Gregorianum addiscant, Nosque eos ad id posse, imo etiam debere non modo distributionum, sed etiam fructuum praebendalium subtractione compellere (*h*). Unanimes porro, & voce psallant conformi, nec festinanter, nec sincopatim Sancta illa, Divinaque verba pronuntient, sed alternatim ita modulentur, ut pausam mediis in versiculis faciant, & versiculum pars una non inchoet, nisi totum altera expleverit. Surgant item pariformiter omnes, stent, sedeant, genuflectant, caputque aut inclinent, aut tegant, aut detegant pro temporum, atque officiorum ratione juxta Choralis Coeremonialis Rubricas, nec unquam vel confabulentur, vel gestiant, vel indecorum aliquid peragant, & loco, actione, sacrisque personis indignum. Haec vero omnia, aliaque, quae ad Chori pertinent disciplinam, cujus in Appendice (*i*) fusiorem dabimus normam, seu vitanda sint, seu facienda, ita praescripta esse sciant, ut tamquam absentes censeri debeant, ac punctatione notari, qui aliqua in parte defecerint, duriores Nobis daturi etiam poenas, si circumstantiae id exegerint (*k*).

IV. In Choro semper, nunquam vero alibi, quin fuerit aliter a Nobis justam ob caussam permissum (*l*),

(*g*) Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 13. c. 9. Idem Const. *Cum semper* 19. Aug. 1744. & Brev. *Praeclara decora* 19. Jan. 1748.

(*h*) Cap. *Dolentes* de celeb. Miss. Clementin. *Gravi* de celeb. miss. Can. *Non est putanda* 1. q. 1. Cap. *Nisi cum primum* §. pro defectu. Conc. Trid. sess. 24. c. 12. de Ref. Bened. XIV. d. Const. *Cum semper* Scarfant. ad Ceccoper. tom. 1. l. 2. tit. 9. n. 47.

(*i*) Vid. Append. ad. sess. 2. n. 5.

(*k*) Clem. XI. Encycl. ad Episc. 16. Mart. 1703 Crispin. Visit. Pastor. p. 2. §. 20. Bened. XIV. Notif. 127. n. 44.

(*l*) S. Con. Particul. in Fulginat. Synodi 18. Jul. 1723. ad 2. Syn. Fulgin. c. 3. n. 5. Syn. Bajardi p. 3. c. 9. §. *Tempore*.

Canonicae recitentur horae. Matutinum, cum Laudibus, tribus exceptis diebus Majoris Hebdomadae, totaque Christi Corporis Octava, vespere praecedenti recitari, seu vesperarum officium extra Quadragesimale tempus de mane persolvi sit nefas omnino, nisi Nostra facultas accesserit, raro tamen, & caussa tantum urgente gravissima concedenda (*m*). Nullus, qui Choralibus vestibus integre indutus non sit, pro praesente unquam habeatur (*n*). Nullus, qui ad Matutinum adveniens ante hymni finem, ad caeteras horas antequam primus expleatur Psalmus, ad Missam ante ultimum Kyrie Eleison Chorum non ingrediatur (*o*). Nullus praeterea, qui praepropere e Choro discesserit, omnibus nondum plane absolutis, quae vel de Rubrica sunt, vel de laudabilis consuetudinis instituto. Idem de iis statuimus, qui sine legitima caussa e Choro egrediuntur, imo & de iis, qui caussa etiam accedente legitima egressi, aut in Sacrario, aut alibi tempus inutiliter terant. Si qua autem hora, vel Missa Conventualis quocumque praetextu omittatur, omnes tunc temporis Choro obstrictos distributionibus omissioni respondentibus privari volumus, quas Ecclesiae Sacrario decernimus applicandas.

V. Quoniam vero in Conventualis Missae sermonem incidimus, cum Divini sit pars Officii, in singulis tum Cathedralibus, tum Collegiatis Ecclesiis cum cantu quotidie celebrandam esse satis est exploratum. Eam semper cum Officio concordare oportet, & post illam celebrari Canonicam horam, quam pro dierum diversitate Rubricae praefiniunt. Maxime autem deceret, ut quavis die solemni ritu celebraretur, idque a Sacra Concilii (*p*) Congregatione decretum

(*m*) Brasch. Promptuar. Synod. c. 86. n. 18. & seqq. Bened. XIV. Notif. cit. n. 22.

(*n*) Syn. fere omnes passim.

(*o*) Conc. Prov. Mediolan. 1. p. 2.

(*p*) Cap. *Cum Creatura* de celeb. Missae. Clementin. 1. eod.

pluries fuit. Ne tamen Chorales nimio gravare onere velle videamur, Dominicis quibusque, atque festivis omnibus saltem diebus, itemque per totam Sanctissimi Christi Corporis Octavam, Diacono, ac Subdiacono ministrantibus Conventualem Missam canendam esse si fieri possit, edicimus, quod aeque dictum intelligatur, si plures fuerint Missae celebrandae Conventuales. Vesperae pariter diebus praedictis tempore etiam Quadragesimali semper erunt cum cantu, sacrisque adsistentibus de more Ministris: Matutinum cum Laudibus solemnioribus decantabitur anni Festivitatibus. Tertia hora juxta laudabile in more jam positum Ecclesiarum Nostrarum institutum: Martyrologium vero, ut singulis decantetur diebus, omnino praecipimus (*q*).

VI. Jam vero quod ad Conventuales praedictas attinet Missas, eas esse quotidie pro Benefactoribus in genere applicandas, post notissimam Benedicti XIV. Constitutionem anni 1744. *Cum semper*, indubium profecto est. Sed cum a Sacra Concilii Congregatione indultum Nostris Capitulis fuerit, ut festis tantum diebus pro Benefactoribus Missa applicetur, nihil aliud est Nobis hac de re dicendum, nisi quod meminerint Canonici, eam semper Missam esse applicandam, quae solemniter celebratur, sive Celebrans Mansionarius sit, sive Canonicus, & auctis aliquando seu Praebendarum, seu Massae Capitularis reditibus, indultum illico cessatum iri. Quoties vero juxta Missalis Rubricas vel festis diebus, vel feriatis altera quoque, ac tertia interdum canenda sit Missa, quamvis pro Sacerdotis libito queat applicari, convenit tamen, ut in Defunctorum commemoratione benefa-

---

tit. S. C. C. in Verulana Visit. S. Limin. 21. Jan. 1719. ad t. In Camerinen. Missae Convent. 7. Decembr. 1709. In Salernitana 17. Septem. 1732. ad 14.

(*q*) Cap. *licet* de Praeben. Trid. sess. 14 c. 12. circa fin. S. C. C. in cit. Salernitana ad 13.

ctorum memoria non omittatur. Sed quoniam ut plurimum in Cathedralibus Nostris Conventuales Missae celebrari solent a Mansionariis, quos omni eleemosyna aequum privari non est, statuimus proinde, ut talium Missarum eleemosynae e distributionum massa sumantur (*r*). Praeter has Missas tam in Cathedralibus, quam in Collegiatis, solemnis alia celebranda erit anniversaria die Consecrationis Epicopi, sicuti die anniversaria obitus Episcopi ultimo loco defuncti, & post fidelium omnium Defunctorum solemnem commemorationem, pro omnibus defunctis Episcopis Missa erit canenda de *Requiem* (*s*), quam decet ab alia distinctam esse pro defunctis aeque Canonicis celebranda.

VII. Dum festis praesertim diebus Missa celebratur Conventualis, privatam ea in Ecclesia nullus alius Sacerdos celebret (*t*), quod vetitum itidem sit, dum Episcopus vel solemne peragit Sacrificium, vel etiam privatum (*u*), eoque in Altari, ubi Episcopus celebravit, nemini die illa sine ipsius facultate celebrare fas erit (*x*). Celebrantibus Nobis, aut alia quaelibet in Cathedrali cum Mitra, & Baculo agentibus Pontificalia Capitulares, omnino adsint omnes, iique esse debent vestibus Sacris induti, Dignitates cum

(*r*) Bened. XIV. relat. Const. *Cum semper* §. *Aliorum* S. C. C. in Burgi S. Donnini. 16. Maii 1716. in Ferrarien. 18. Mart. 1719 Mazzotti tract. 5. disp. 4. q. 2. Ferrar. verb. Missa art. 3. n. 31. Syn. Urbini 1753. t. 3. §. 3. Syn. Civit. Castelli 1766. act. 3. c. 2. §. 18. Syn. Ancon. 1779. p. 1. t. 3. n. 34.

(*s*) Coerem. Episc. l. 2. c. 35. 36. 37. Con. Rom. t. 15. c. 5. Con. Prov. Mediol. 3. de iis, quae ad Divin. Offic. pertinent. Syn. Bajardi p. 6. c. 4.

(*t*) Conc. Prov. Mediol. 4. *de iis, quae pertinent ad Miss. sacrif.* S. C. C. in cit. Salernitana ad 10.

(*u*) Cap. *Et hoc attenden.* de Consecr. dist. 1. Conc. Prov. Mediol. 4. loc. cit.

(*x*) Cap. *in Altari* 92. de Consecr. dist. 2. ibiq. Glossa Conc. Prov. Mediol. 3. *de iis, quae pertinent. ad Miss. Sacrif.*

Pluviali, Canonici Sacerdotes cum Casula, non Sacerdotes Canonici cum Dalmatica, omniaque fiant ad Coeremoniale Episcoporum, & Romani Pontificalis praescriptum, sciantque Capitulares, si sua obire neglexerint munia, praeter punctationis poenam, fore etiam a Nobis puniendos (*y*). Inservire Nobis tenentur pariter in aliis Civitatis Ecclesiis, si Missae Solemni, aliisque Divinis adsistamus officiis (*z*), imo juxta morem laudabiliter jamdiu inductum (*aa*), cum Sacrum in aliqua Civitatis Ecclesia privatum facientibus, duo semper Canonici Nobis adsistant; confidimus fore ut Episcopo suo nunquam hoc obsequium recusent.

VIII. Praeter Divinum Officium, Officium etiam B. M. V., ac Defunctorum, & Psalmos nunc Poenitentiales, nunc Graduales diebus a Rubrica statutis juxta laudabilem Ecclesiarum Nostrarum consuetudinem in Choro recitari jubemus, eosque, quibus grave fortasse esset hoc pensum absolvere, serio monemus, ne temporalia tantum spectantes, solo distributionum amittendarum metu Chorum adeant, quod quidem saperet Simoniam (*bb*), sed Deum prae oculis habentes, onusque ipsis impositum, ut Divinam indignationem tum propriis, tum aliorum culpis merito lacessitam, orationibus placare contendant, iis etiam alacriter, devoteque insistant precibus, quibus spiritualia sunt unice adnexa stipendia (*cc*). Caveant igitur, ne Choro saepe abeuntes, dum vel Officia recitantur praedicta, vel Psalmi, modicae fidei, pieta-

---

(*y*) Bened. XIV. cit. Notif. 107. n. 44.

(*z*) S. C. C. Saepe apud Bened. XIV. cit. notif. n. 60.

(*aa*) S. Rit. C. in Ragusina 16. Martt. 1658. & in Catacen. Servitii 29. Nov. 1698. Syn. Viterb. 1760. t. 4. c. 2. n. 27. Syn. Ancon. 1779 p. 1. t. 3. §. *Conveniant*.

(*bb*) Act. Mediol. p. 301. §. *At praeterea* Syn. Fulgin. 1722. c. 3. n. 1. Syn. Bajardi loc. cit. §. *Non est*.

(*cc*) S. Pius V. Const. 64.

tisque suae praebeant indicia, Nobisque in ipsos animadvertendi afferant necessitatem.

IX. Canonicatu noviter quisque auctus, seu Dignitate, Capitulo, ut moris est, convocato, possessionem Capitulariter ineat (*dd*), emissaque primum Fidei professione, mox statuta, jura, consuetudinesque Ecclesiae spondeat jurejurando se servaturum, formula omnino adhibita, quae Appendici adjungetur (*ee*). Inde vero ita se credat residentiae lege devinctum, ut Sacrorum Canonum, & praesertim S. Concilii Tridentini (*ff*) decretis obsistere vereatur, si ultra tres menses sive continuos, sive interpolatos quolibet anno ab Ecclesia abesse praesumat. Hanc autem trium mensium, ut ajunt, vacationem sciant esse permissam hisce praecise conditionibus, ut scilicet nunquam abesse possint tempore toto Adventus, Quadragesimae, & Octavarum Nativitatis Domini, Paschatis, ac Sanctissimi Corporis Christi (*gg*); Ut cavendum sit semper, ne Chorus nimis infrequens fiat, Divinusque minuatur cultus, unde quota Capitularium pars Choro vacare possit, liberum est Episcopo praefinire (*hh*); Ut tandem nulli neque Canonico liceat, neque Dignitati, ab Episcopo potestate non facta, suae etiam tempore vacationis e Dioecesi discedere (*ii*). Haud tamen Canonici sibi persuadeant, fore ut censeantur residentiae legi satisfecisse, si apud Ecclesiam suam vel in Civitate degentes, vel in Oppidis, ab Ecclesiae nihilominus servitio deficiant (*kk*). Nec amis-

(*dd*) Cap. *Si Capitulo* de concess. Praebend. in 6.

(*ee*) Num. VI.

(*ff*) Conc. Trid. Sess. 24. c. 12. de Ref.

(*gg*) S. C. C. In Farfen. 13. Nov. 1655. in Cathacen. 5. Septem. 1699. In Asculana 5. Jul. 1706.

(*hh*) S. C. C. in Auximana 12. Jul. 1631., & in dict. Farfen. 1655. Bened. XIV. cit. Notif. 107. n. 34. 35.

(*ii*) S. C. C. in Accerrarum 23. Aug. 1727. ad 3. in Larinen. 26. Jan. 1732. in Castrimaris 4. Mart. 1737

(*kk*) S. C. C. relat. a Bened. XIV. cit. Notif. n. 32.

sarum distributionum, aut fallentiarum, ut vocant, remissionem sperent, vel condonationem (*ll*); cum enim absentium distributiones praesentibus accrescere debeant, Canonicis singulis, aeque ac toti Capitulo quidquam de iis sponte etiam pacisci vetitum est (*mm*). Poenas denique a Tridentino adversus non residentes statutas Nos adamussim fore exacturos pro certo habeant, ac breviorem etiam, ut citius resipiscant, suscepturos viam Ecclesiasticis, si opus fuerit, in eos animadvertendo Censuris (*nn*).

TITULUS IV.

De Chori, Capitulique Officialibus.

I. Chori praefecturam exerceat, qui digniorem in Choro habet inter praesentes locum, suique curare sit muneris, ne quid extra ordinem, ne quid minus recte, aut incomposite agatur. Hujus, ut inchoetur Officium, expectandus est nutus, eoque absoluto, ut discedatur. Nemini vel Officii tempore, vel Conventualis Missae non petita ab eo venia licebit discedere (*a*). Ipse vero ita se geret, ut Choralem disciplinam, quam hucusque innuimus, omnino sartam tectam custodiat. Caeterum, ubi populi commoditas, utilitasque id exquirat, unum, aut etiam alterum successive Canonicum festis diebus ad Missam celebrandam e Choro abire permittat (*b*), quos tamen,

---

(*ll*) Conc. Trid. cit. Sess. 24. de Ref. c. 12. Conc. Mediolan. 4. p. 2. tit. de Distrib. S. C. C. in Ferentina 7. Jun. 1760. Bened. XIV. cit. Notif. n. 41.

(*mm*) S. C. C. in Tudertina 7. Jun. 1727. & in Turritana 2. Jul. 1733. Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 4. c. 4. §. 1.

(*nn*) Cap. *Ex tuae* de Cleric. non resident. Bened. XIV. cit. Notif. 107. n. 38. S. C. C. in Parentin. 18. Novembr. 1673.

(*a*) S. C. C. in Salernitana 27. Sept. 1731. ad 11.

(*b*) Syn. Fulgin. 1722. c. 3. n. 10. Syn. Civit. Castelli 1766. act. 3. c. 2. n. 11. Syn. Ancon. 1779. p. 1. tit. 3. §. *Ex praedictis*.

Missa finita, sub punctationis poena illico redire oportebit. Nobis in Choro praesentibus, vel Nostro Vicario Generali, omni sublata alteri cuilibet auctoritate, primas agendi semper, & ubique jus erit.

II. Facile salutares quaecumque eluderentur Constitutiones, ut optime Benedictus XIV. advertit (c), nisi in singulis Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis certi, & designati forent Canonici, quibus onus incumberet accurate adnotandi quot quot in Choro, aliisque sacris functionibus desiderantur, & quibus nominatim diebus, aut a qua speciatim Divini Officii parte hic, aut ille se subducat. Hos, quos Punctatores consuetum est appellari, duos esse de more in quolibet Capitulo volumus, a Nobis alterum, alterum ab ipso Capitulo designandum. Uterque de munere fideliter obeundo juramentum praestabit formula a D. Carolo tradita (d), & in Appendice descripta (e); primus autem coram Vicario Nostro Generali in Civitate, coram Foraneis in Oppidis, alter respectivis suis coram Capitulis (f): quod si praestare juramentum noluerint, aut detrectaverint impositum onus suscipere, ope etiam Censurarum a Nobis poterunt cogi (g). Ambo tum Dignitatum, ac Canonicorum, tum Mansionariorum fallentias notabunt, solum prae oculis habentes judicem Deum, apud quem perjurii fore se meminerint reos, si aliquam impune sinant ex Synodalibus hisce violari legibus, aut si

---

Syn. Ferrarien. 1781. p. 3. c. 5. n. 20. Syn. Auximan. 1778. c. 6. §. *Et tum* Syn. Bajardi p. 3. c. 9. §. *Ne quis*.

(c) Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 4. c. 4. §. 2.

(d) D. Carol. Conc. Mediol. 1. p. 1. tit. de Offic. Punctator. Syn. Bajardi loc. cit.

(e) Vid. Append. n. 7.

(f) Bened. XIV. de Syn. loc. cit. §. 4.

(g) S. C. C. 17. Mart. 1719. S. C. particular. in Casalen. 2. April. 1708. S. C. C. in Albanen. 18. Jul. 1710. Syn. Hortana 1756. Syn. Viterb. 1763. Syn. Civit. Castelli 1766. Syn. Ferrarien. 1781.

quidquam injuste alicui vel remittant, vel detrahant. Nullo igitur animi impetu abduci, nullo humano vinci patiantur affectu in commisso sibi munere exercendo, illatum cuicumque damnum, si secus egerint, strictissimo jure reparaturi (*h*). Librum interim uterque habebit distinctum in Sacrario, ut cuique semper petenti pateat, asservandum, in quo absolutis quaque die officiis punctationes illico conscribantur. Alteruter si a Choro vacaverit, alium in suum locum sufficiet Canonicum (*i*); punctationum vero ipsarum Libri in Capitulario Archivo quotannis perpetuo custodiendi ponentur (*k*) a Canonicis quibuslibet, atque ab Episcopo in primis, quoties libuerit, invisendi libere, & examinandi.

III. Quamvis autem sive a Choro, aliisque functionibus absint omnino, sive sua per alios non per se ipsos, ut Tridentinum praescribit (*l*), officia obeant, sive tandem a Chorali superius tradita disciplina deficere aliqua in parte praesumant, Canonici omnes sint indistincte punctandi, quaedam tamen sunt caussae, quae absentes excusant, eaeque a Bonifacio VIII. enumeratae (*m*), atque ab eodem adprobatae Concilio Tridentino (*n*) sunt, *infirmitas*, *seu justa*, *& rationabilis corporis necessitas*, *aut evidens Ecclesiae utilitas*. Verum quoad infirmitatem praesertim, corporisque necessitatem, ne iis deferantur distributiones, quibus nulla ratione debentur, statuimus, vero tantum correptos morbo, qui domo nequeunt exire, obnoxios absolute punctationi non esse, eos tamen, qui ad deambulandum exeunt, vel ad celebrandam Mis-

(*h*) Bened. XIV. cit. Notif. 107. n. 89. & 103.

(*i*) Syn. Fulgin. 1722. c. 4. n. 4. Syn. Civit. Castelli 1766. act. 3. c. 2. n. 22. Syn. Anconit. 1779. p. 1. t. 3.

(*k*) Syn. Fulgin. 1722. loc. cit. n. 6.

(*l*) Con. Trid. cit. sess. 24. de Ref. c. 12.

(*m*) Cap. *Consuetudinem* unico de Cleric. non resid.

(*n*) Trid. loc. sup. cit.

sam, licet infirmos se dicant, minime esse excusandos, nisi Medici testimonium afferant jurejurando firmatum, quo constet suae ita consulendum esse, indulgendumque saluti (*o*). Breviter haec de infirmitate, corporisque necessitate; ubi enim aliqua de iis oriatur fortasse quaestio, Nobis eam pro re nata dijudicandam reservamus. Porro quod ad Ecclesiae spectat utilitatem, qui Nobis Episcopalia quaecumque sive publice, sive privatim exercentibus munia inserviunt (*p*), qui extra Adventus, & Quadragesimae tempora vel ii Canonici sint, vel Mansionarii de Nostra licentia spiritualibus vacant exercitationibus (*q*), qui curam habentes animarum tum Canonici pariter, tum Mansionarii, vel fidelium Confessiones excipiunt, vel alteri incumbunt operi, quod ad Parochiale pertinet munus (*r*), qui pro Capituli negotiis agendis absunt, legitima tamen prius a Nobis cognita caussa (*s*), qui specialiter Officiorum tempore ad Confessiones audiendas justa aliqua concurrente ratione sunt ab Episcopo designati (*t*), hi omnes tamquam praesentes in Choro censendi sunt, suasque lucrantur integre distributiones. Idem de Canonico Theologo, uti alibi innuimus, dicendum est, idemque de Canonico Poenitentiario, dum tamen hic actu Confessiones audit, non vero dum in sede tantum residet Confessionali (*u*). Caeterum, quum de magni momenti re agatur, ne ullus unquam error irrepat, in dubio

---

(*o*) Syn. Fulgin. 1722. c. 3. n. 7. Syn. Ferrarien. 1781. p. 3. c. 5. n. 19.

(*p*) Bened. XIV. cit. Notif. 107. n. 56. S. C. Rituum in Lamacen. 28. April. 1608. Pignatell. consult. 83. n. 4. Scarfant. lib. 3. tit. 7. n. 20.

(*q*) Encycl. S. C. C. ann. 1710. in Append. n. 3.

(*r*) Bened. XIV. ibid. n. 56.

(*s*) S. C. C. in Hispalen. apud Bened. XIV. ibid. n. 54.

(*t*) S. C. C. in Lucana 10. Mart. 1635. Syn. Civit. Castelli 1766. act. 3. c. 2. n. 25. Syn. Ferrarien. 1781. p. 3. c. 5. n. 20.

(*u*) Bened. XIV. loc. cit. n. 55.

consulendum esse Episcopum Sacra Concilii Congregatio jam declaravit (x).

IV. A Punctatoribus, eorumque officio ad majorem, ut ajunt, Sacristam, quem tum a Cathedralium, tum a Collegiatarum Capitulis singulis eligi annis praecipimus, convertendo sermonem, ut res Ecclesiae maxima, qua par est, diligentia curet, hortamur, & in ea omnia totam animi intendat aciem, quae Divinum cultum, Ecclesiaeque decorem respiciunt. Caveat in primis, ne desidia sua vel minor Æditius, vel Clerici Sacrario addicti propriis desint muneribus, neve quidquam in Ecclesia sordidum, & loco Sancto indignum fidelium pietatem, ac religionem offendat. Confabulationes, scurrilia, risus, clamores, jurgia a Sacrario arceat (y), moneatque tum Ecclesiasticos viros, tum Laicos, quos tamen nunquam inutilem ibi trahere moram vellemus, ne locum orationi, Sacrorumque Mysteriorum praeparationi dicatum indigne contemnant, idque ipsis praesertim redigat in mentem Canonicis, qui sua caeteris devotione, ac modestia praeire debent. Curet praeterea, ut Missarum onera, ad quae ratione Praebendae suae Canonicus quisque tenetur, omnes statuto tempore, & loco, atque in Altaribus a Testatore praescriptis diligenter, fideliterque adimpleant (z), nullum enim in tanti momenti re impune abire negligentem patiemur, ejusque hac in parte oscitantiam graviter etiam

(x) S. C. C. in Conversan. punctaturar. 4. Decemb. 1706. ad 2. Syn. Civit. Castellan. 1756. tit. 4. c. 3. n. 29. Syn. Viterb. 1760. tit. 4. c. 2. n. 20. Syn. Civit. Castelli 1766. act. 3. c. 2. n. 22. Syn. Anconit. 1779. p. 1. tit. 2. §. *Ex punctatorum*.

(y) S. Pius V. Const. *Cum primum*. Coerem. Episc. l. 1. c. 6. S. C. C in Milevitana Synod. 9. April. 1707. ad 3. Conc. Prov. Mediol 1. sub S. Carol. p. 2. de Offic. Sacrist. Syn. Fulginat. 1722. c. 3. n. 16.

(z) Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 13. c. ultim. §. 1. Amostaz. de causis piis l. 2. c. 3. n. 43. Monacell. tom. 2. tit. 13. Form. 2. n. 60.

puniemus. Missarum celebrationem opportune semper, & festis praecipue diebus ita distribuat, ut nunquam plures eodem tempore, sed altera, quoad fieri potest, e Sacrario non prodeat, nisi altera completa, vel saltem complenda, & talis servetur ordo, qualem populi exposcit commoditas (*aa*), provideatque, ut post Conciones, & Processiones nunquam Missa desideretur a Canonicis, atque a Mansionariis per turnum celebranda, si nullus adsit adstrictus alius opportune Sacerdos (*bb*). Extraneos, atque advenas Sacerdotes, qui vagi sint, & ignoti, sub poenis arbitrio Nostro infligendis, & etiam suspensionis ad celebrandum nunquam admittat, neque admitti sinat, nisi prius vel per Nos ipsos, vel per Nostrum Vicarium Generalem celebrandi facta fuerit scripto facultas (*cc*). Bona, Ecclesiaeque reditus sic administret, ut ejus consulat indemnitati simul, utilitatique, neque extraordinariam aliquam agat impensam sine Capituli consensu, sub poena impensae ipsius aere proprio solvendae (*dd*). Expleto tandem munere suo dati, & accepti rationes intra mensem Capitularibus exhibeat Revisoribus, quorum tamen sententiam sive adproban-

(*aa*) Conc. Prov. Mediol. 1. p. 2. De iis, quae pertinent ad celeb. Miss. §. *In Ecclesiis*, & Conc. Prov. 4. p. 2. tit. eod. *Si vero* Cap. *Necesse* de consec. distinct. 1. S. C. C. in Castellanaten. 11. Feb. 1662. Ceccoper. lucub. Canonic. l. 3. n. 47. Syn. Fulginat. 1722. c. 3. n. 16. Syn. Auxim. 1778. c. 6. §. *Et cum Ecclesiarum*.

(*bb*) S. C. C. in Hortana 9. Sept. 1690. Syn. Fulginat. cit. c. 20. n. 6.

(*cc*) Conc. Trid. sess. 22. Decr. de observand., & evitand. in celeb. Miss. & sess. 23. c. 16. de Ref. S. C. S. Officii cit. anni 1649. & 1692. Bened. XIV. Notif. 29. §. 1. Syn. Bajardi p. 2. c. 5.

(*dd*) S. C. C. in Milevitana Synod. 21. Maii 1707. ad 21. in Cassalen. 16. Maii 1708. ad 53. In Urbevetana *Jurisdictionis* 15. April. 1758. Thesaur. resolut. S. C. C. Tom. 23. p. 32. Syn. Fulgin. 1722. c. 3. n. 22.

dam, sive infirmandam, prout aequum erit, Nobis reservamus (*ee*).

V. De Canonico Theologo satis in prima Sessione jam egimus. De Canonico Poenitentiario pauca haec addenda ducimus superius delibatis. Vices hic Nostras in Poenitentiae tribunali gerens (*ff*) diligentiam, charitatem, prudentiam, sollicitudinem omnem in ministerio suo adhibeat, seque facilem, promptumque praebeat, quoties ad Confessiones excipiendas vocatus fuerit, imo etiam non vocatus ad Confessionalem sedem festivis praesertim diebus, ac Quadragesimae, Adventus, & jejuniorum tempore (*gg*) accedat. Eum, dum Confessiones audit, omnes, & cujuscumque sint generis lucrari distributiones, dictum jam fuit (*hh*), quod de Canonico ab Episcopo in ejus locum suffecto pariter est asserendum (*ii*). Ut gravioribus affectos vulneribus mederi possit, liberam semper habebit absolvendi a casibus Nobis reservatis, inque secunda tabula expositis facultatem. Ut vero ab officii sui obeundo munere nullo detineatur negocio, ad suscipienda, exercendaque Punctatoris, Procuratoris, & Camerarii Capitularis officia cogi nullimode poterit (*kk*). Non nihil hic de Canonico Secretario Capituli superesset addendum. Cum autem, quae ejus sunt muneris, in sequenti titulo sint describenda, de eo ibi apposite agemus.

(*ee*) Clementin. *Quia contingit* §. *Ut autem* de Relig. dom. Conc. Trid. sess. 22. de Ref. c. 9. Pignatell. Consult. 15. n. 37. Tom. 7.

(*ff*) Garz. p. 5. c. 4. n. 18., & 122.

(*gg*) S. C. C. in Fossanen. 18. Sept. 1637. Syn. Fulgin. c. 5. n. 1. Conc. Rom. sub Bened. XIII. tit. 32. c. 4. circa finem.

(*hh*) Conc. Trid. sess. 24. de Ref. c. 8.

(*ii*) Bened. XIV. cit. Notif. 107. n. 55.

(*kk*) S. C. C. in Conversana 19. Novembr. 1719.

TITULUS V.

De Comitiis Capitularibus.

I. Capitularia indicendi Comitia in unoquoque sive Cathedralium, sive Collegiatarum Capitulo illi jus erit, qui hanc sibi vindicavit hucusque auctoritatem. Unico autem etiam postulante Canonico, si justa occurrerit caussa, erunt cogenda (*a*), sed nunquam, nisi gravissima urgeat necessitas aut festo die, aut Divinorum Officiorum tempore (*b*). Æris campani sonitus praecedenti die editus Capitulares monebit, quorum neminem legitimo non detentum impedimento sub indicta in novis auctoritate Nostra probatis Constitutionibus poena abesse volumus (*c*). Supplicationibus de more praemissis negocia per Capituli Praesidem proponantur, suamque debito servato ordine promat quisque sententiam. Absint clamores, jurgia, convicia, qua in re, si quispiam forte peccaverit, punctationi praedictae veluti absens subjaceat (*d*). Nemini discedere liceat, nisi omnibus absolutis, actisque Deo gratiis (*e*). Suffragia semper secreta sint, & secus captae deliberationes nullius omnino sint roboris (*f*). In re ancipiti, ubi diversae fuerint, distractaeque sententiae, proposita in uno Capitulo, in altero definiantur (*g*). De Divino cultu, de

K

(*a*) S. C. C. in Ferentina 7. Jun. 1770.

(*b*) S. C. C. in Melitensi 1602. in Adrianen. 1722. Sin. Ferrarien. 1781., aliaeque passim.

(*c*) Ceccoper. Lib. 4. n. 54. Syn. Fulgin. 1722. c. 3. n. 26. Syn. Urbin. 1753. p. 3 n. 8. Syn. Bajard. p. 3 c. 13.

(*d*) Syn. Fulgin. cit. c. 3. n. 27. Syn. Civit. Castell. Act. 3. c. 2. n. 36., aliaeque.

(*e*) Syn. Fulgin. cit. c. 3. n. 26. Syn. Civit. Castelli cit. Act. 3. c. 2. n. 36.

(*f*) Alexand. VII. Const. *Pro commissae* 36. §. 1. Conc. Prov. Mediolan. 4. p. 2. tit. *quae pertinent ad Capit.* §. *Cum de rebus*. Syn. Fulgin. loc. cit. n. 27.

(*g*) Act. Mediolan. sup. cit. Syn. Fulgin. l. c. n. 28. Syn.

Ecclesiae praestando obsequio, deque recta Capitularium rerum administratione sit potissimum sermo, sed ea praecipue ab omnibus quaerantur, non quae sua sunt, sed quae Jesu Christi. Qui saltem Subdiaconatus Ordine non sit insignitus, nullam habeat in Capitulo vocem (*h*), isque etiam a Capitulari conventu recedat, de cujus re, sive de re consanguineorum, & affinium suorum in primo, & secundo gradu fuerit agendum (*i*). Nullus alius unus a suffragio ferendo quovis sub praetextu abstinebit; quidquid autem congregatorum pars major statuerit, id unum decretum erit, ac firmum.

II. Praeter generalem illum Canonicorum conventum, quem juxta veterem consuetudinem post Vesperas Festi Sanctorum Innocentium diei haberi permittimus, quique ad eligendos quotannis Officiales Capituli statutus est, singulis saltem trimestribus Capitularia comitia cogenda esse decernimus (*k*). Ubi vero Officiales praedicti fuerint electi, si coram Episcopo, uti consuevit, electio facta non sit vel per Capituli Praesidem, vel per Secretarium confestim ei renuntientur (*l*). Nemini munus sibi a Capitulo delatum recusare liceat sine legitima caussa ab ipso probanda Capitulo per secreta suffragia sub poena a Capitularibus statuta Sanctionibus (*m*). Nemo rerum, negociorumque in Capitulo gestorum secretum prodat sub poena Nostro infligenda judicio (*n*).

Civit Castelli, Viterbien., Anconit., Ferrarien., aliaeque.

(*h*) Conc. Trid. Sess. 22. de Ref. c. 4.

(*i*) S. C. C. in Paderbonen. 9. Aug. 1704. Syn. relatae omnes.

(*k*) Syn. Fulgin. l. c. n. 26. Syn. Anconit. cit. p. 1. tit. 3. de Comit. Capit. Syn. Ferrarien. 1781. p. 4. c. 2. n. 8.

(*l*) S. C. Episcop. apud Pignatell. tom. 4. consult. 154. n. 7. Petra ad Constit. Apostolic. tom. 1. pag. 41. n. 55.

(*m*) Alexand. VII. Const. *pro commissa*. S. C. C. in Verulan. Electionis Celerarii 25. Jan. 1744. ad 3. Syn. Urbin. 1753. tit. 3. §. 9. Syn. Anconit. 1779. p. 1. tit. 3. de Comit. Capit. §. *Nemini liceat*.

(*n*) Syn. Fulgin. c. 3. n. 38. aliaeque.

III. Acta quaelibet Capitularia per Secretarium Capituli, qui suam ei fidelitatem spondebit, in librum numeratis foliis coalescentem exscribentur, vel statim ac absoluta fuerint, vel saltem intra hebdomadam, ac deinde coram Capitularibus legantur. Nulli tamen, nisi Capitularibus pateant, Nobisque requirentibus, quibus, ne quidquam aut contra juris dispositionem fiat, aut in praejudicium Ecclesiae, omnia in Capitulo gesta, cognita, perspectaque esse debent (*o*). Epistolae quaecumque sive ad Capitulum scriptae sint, sive ab ipso scribantur Capitulo, publice semper, & coram Capitularibus legantur omnibus, nihilque in rescribendis omnino sit, quod a majore Capituli parte probatum non fuerit (*p*), eaeque omnes primae saltem Dignitatis subscriptione muniantur. In Capitulo tandem suae administrationis rationes quotannis reddant Camerarii, seu Syndici Capitulares, quas tamen, si ita in Domino expedire judicaverimus, Nos ipsi revidere, ac recognoscere non omittemus (*q*).

IV. Quamvis exploratum jam sit, Praebendas omnes tum Ecclesiarum Nostrarum Cathedralium, tum Collegiatarum esse Praesbyterales, Sacri nihilominus Tridentini Concilii inhaerentes Decreto (*r*) Synodali lege volumus id declaratum, ideoque Ordinem Praesbyterii singulis ipsis absolute adnexum esse sancimus. Cum iis igitur, qui Ordinem supradictum ultra annum assumere neglexerint, juxta Sacrorum Ca-

---

(*o*) Syn. Fulgin. loc. cit., & in Append. p. 44. ibique jura allegata.

(*p*) S. C. particul. in Fulginat. Synodi 18. Jul. 1723. ad.9. Ceccoper. l. 4. n. 216. Syn. Fulgin. cit. c. 3. n. 35. Syn. Anconit. p. 1. tit. 3. de Comit. Capit. §. *Nullo modo* Syn. Ferrarien. p. 4. c. 2. §. 15.

(*q*) S. C. C. 18. Aug. 1696. & 17. Augst. 1697. apud Scarafanton. ad Ceccoper. decis. 59. n. 6. 7. 8. Syn. Civit. Castelli 1766. act. 3. c. 2. n. 41.

(*r*) Conc. Trid. Sess. 24. c. 11. de Ref.

nonum censuram, vigore hujus Nostri Decreti, quod vim trinae monitionis habebit, agi omnino mandamus (s). Ut vero cuicumque occurramus controversiae, quae de praecedentia oriri posset, statuimus, Canonicum quemlibet nondum Sacerdotio insignitum, licet Canonicatus possessione anteriorem Canonico Sacerdoti, atque simplici etiam Coadjutori digniorem locum concedere semper debere (t). Caeterum Coadjutor Canonicus post omnes Canonicos ejusdem ordinis sedere debet, nullaque frui extra Ecclesiam, & sine Capitulo praerogativa (u), unde Episcopo Pontificalia exercenti, vel Divinis inservienti nullam praestare poterit assistentiam (x), ejusque praecedentia, quoad locum ab ipso tantum Coadjuti obitu est numeranda.

V. Haec sunt, quae proponimus Nostris servanda Canonicis. Eos interim meminisse volumus illorum etiam, quae alibi de Sacris Concionibus praescripsimus, de casuum conferentiis, deque lectionibus Divinae Scripturae. Audiant denique, animoque revolvant maximi ponderis, quam hic sententiam subjungimus. *Quae de vita, & honestate Clericorum statuta sunt, ea omnia quam diligentissime a Canonicis sunt observanda sub iisdem, ac etiam gravioribus poenis, cum deceat, illos ea morum integritate ornatos esse, ut nomen suum tueri, & retinere possint, ac prae aliis Clericis Canonici, seu Regulares ex observata Ecclesiasticae disciplinae perfectius regula nominari*

(s) S. C. partic. cit. in Fulginat. Syn. ad 10. & Syn. Fulgin. supradict. cit. c. 3. n. 37. S. C. C. in Oriolen. 7. Febr. 1756. ad 4. & 28. Aug. ejusd. ann.

(t) Cap. *Statuimus* de Majorit. S. C. C. in Farfen. 15. Sept. 1660. in Sutrina 30. Jul. 1689. S. R. C. in Aesina 4. Apr. 1705. & 17. Aug. 1707. Syn. Civit. Castelli, & Anconit. cit. aliaeque.

(u) S. R. C. in Anconit. 18. Mart. 1623., & in Lauden. 7. Mart. 1637.

(x) S. R. C. in una Civit. Castelli 24. Maii 1637.

mereantur, a quibus caeteros studium, & amorem, ac tamquam regulam cultus Divini non pigeat accipere. Ita Acquense Concilium anni 1585. (y) Canonicos monuit, ita Nos quoque monemus, hortamurque maximo, quo possumus cordis affectu, ne quos ut fratres in Jesu Christo diligimus, sanctissimis experiamur exsortes legibus, poenisque subjicere, quamvis inviti, debeamus. Ineffabilem igitur Dei Opt. Max. colant, ac revereantur majestatem, ut partes expleant suae dignitatis, meritoque a Clero universo habeantur honore, quem ipsis ubique jubemus deferri, ac praesertim quoties ad Ecclesias accesserint celebraturi, primas enim in Sacris indumentis, in sumendo loco, in Altaris ornatu semper tenebunt (z).

TITULUS VI.

De Animarum Curatoribus.

I. *Curritur in Clero passim ab omni aetate, & ordine, a doctis pariter, & indoctis ad Ecclesiasticas Curas, tamquam sine Curis jam quisque victurus sit, cum ad Curas pervenerit* (a). Ita sua ajebat aetate Bernardus, quod aeque huic nostrae nimium fortasse exploratum est convenire. At vero quam grave sit, curarumque plenum Animarum Curatoris munus, ex eo praecipue conjicitur, quod Divini Pastoris exemplo non labores solum, ac studia, sed & animam quoque suam pro suis ovibus ponere teneatur (b). Illud igitur ut meminerint, vehementer in Domino Parochos universos hortamur, eos scilicet in partem vocatos sollicitudinis Nostrae, Nostros in vinea Domini cooperatores, Nostrique custodes gregis, perturba-

---

(y) Bened. XIV. Notif. 107. n. 4.

(z) S. R. C. 29. Mart. in Recinatensi apud Syn. Ferrarien. 1781. p. 4. c. 2. n. 19.

(a) D. Bernard. Epist. ad Henr. Senonen.

(b) Joan. 10. 11. 15.

tissimis hisce praesertim Reipublicae Christianae temporibus, quibus, si unquam alias, Animarum Rectores in assignata cuique statione sedulo, ac fortiter excubare necesse est, pastorale munus strenuo, erectoque animo exequi praecipue teneri, & aliis quibuscumque posthabitis omnino negotiis, populi sibi commissi saluti vacare, & una Nobiscum viribus totis, totoque conatu contendere, ne quos Coelestis Pater tradidit Nobis, quemquam ex eis perdamus (c). Quod quidem ut assequi possimus, serio gravissima Tridentinae Synodi pensanda sunt verba (d), quibus edocentur Pastores, *Oves agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique Divini praedicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in caetera munera pastoralia incumbere.*

II. *Quum autem*, Bernardo ipso docente (e), *rectus ordo requirat, ut prius quisque propriam, deinde alienas curare studeat conscientias*, singulos ad Parochiales regendas Ecclesias electos monemus, ne sese ad eas conferant, nisi prius per aliquot dies ab hominum tumultu semoti in Religiosam aliquam se receperint domum (f), ibique piis vacando exercitationibus Coelestium Charismatum dona a Patre misericordiarum assiduis, enixisque precibus efflagitaverint. Sic igitur spiritu roborati, provideque accincti ad suas accedent sponsas Dei opus unice acturi, & solam animarum Jesu Christi sanguine redemptarum prae oculis habentes salutem, quod non Nobis tantum, sed ipsi profecto esse in votis Ecclesiae credant, oportet.

(c) Joan. 18. 9.
(d) Trid. sess. 23. c. de Ref.
(e) D. Bernard. Epist. 1. ad Brunon.
(f) Syn. Fulgin. 1722. c. 7. n. 1. Syn. Anconit. 1779. p. 1. t. 4. Syn. Ferrarien. 1781. p. 4. c. 5. n. 3.

III. In primis vero ne commissum sibi unquam mercenariorum more deserant gregem, arctissimis sibi persuadeant concludi Parochorum residentiam legibus, quas nefas est transgredi, eaeque sunt, 1. ut quilibet Animarum Rector Paraeciales semper inhabitet aedes, quibus aut deficientibus, aut ruinam minantibus intra Paraeciae fines, imo Ecclesiae, quantum fieri potest, proximam conducere domum teneatur, ibique assidue manere (*g*): 2. ut diu, noctuque in Paraecia permaneat (*h*), neque per unum quidem milliare abesse ab ea possit (*i*): 3. ut si per integram fortasse diem e Paraecia discedere necesse ei sit, quod raro permitti poterit, & dummodo nullus adsit infirmus (*k*), alteri suas oves commendet Parocho, seu Sacerdoti ad excipiendas Confessiones adprobato; nequeat tamen abesse ultra biduum una etiam tantum nocte interjecta, repentinis exceptis casibus, sine expressa Nostra, seu Vicarii Nostri Generalis in scriptis semper, & gratis danda licentia (*l*): 4. ut Sacro Adventus, & Quadragesimae tempore, ac solemnioribus anni Festivitatibus quaecumque intelligatur sublata venia, nec per breve etiam temporis spatium sine gravi caussa possit a Paraecia discedere (*m*). Sanctissimas hasce leges ex strictissima residendi obligatione, atque ex Tridentinorum Patrum decretis (*n*)

(*g*) Vid. Append. ad Syn. Fulginat. 1722. c. 7. §. 2., & ibi allegat.

(*h*) S. C. C. in Fulginaten. 19. Aug. 1752.

(*i*) Vid. Append. supradict. §. *Imo*.

(*k*) S. C. C. ad dub. 2. Archiep. Urbin. die 8. Feb. 1747. in Append. ad Syn. ejusd. Civit. 1753. Sect. 3. tit. 3. §. 8. Bened. XIV. Notif. 17. n. 24. Syn. Ancon. l. c. §. *Nullus*. Syn. Ferrarien l. c. n. 35.

(*l*) Conc. Rom. tit. 17. c. 6. S. C. C. in Sabinen. Jurium Parochial. 10. Mart. 1742. Bened. XIV. Notif. cit. n. 23. Syn. praedict., aliaeque passim.

(*m*) Trid. cit. Sess. 23. Syn. Bajardi p. 3. c. 14.

(*n*) Trid. Sess. 6. & Sess. 23. de Ref. c. 1.

deductas ne quis unquam audeat contemnere, quamlibet ex eis violantes debita pro modo culpae pecuniaria poena, & graviore etiam subtractionis fructuum, ac in subsidium, suspensionis (*o*) recidivos puniendos esse statuimus.

IV. Haud tamen adeo poenam reformident, quin magis exhorreant culpam. Quum enim sub gravi apud Ecclesiam residere suam teneantur, hinc eam frequenter derelinquentes in mortalis culpae reatum incurrere, & fructuum injuste perceptorum restitutioni esse obnoxios, constans est Theologorum omnium sententia (*p*). Quod quidem iis potissimum Parochis in mente esse volumus, qui celebrata summo mane Missa, ad Urbem illico, sive ad sua alibi peragenda negotia convolant, non nisi sero ad Paraeciam reversuri. Hos aut urbanitatis nimis amantes, aut nimis implicatos saecularibus curis, tamquam absentes, Sacrisque Canonibus refractarios, poenis subjiciemus iisdem (*q*). Interim vero Synodali hac lege decernimus, nemini ex Animarum Rectoribus festis quibuscumque diebus e Paraecia sua fas esse pedem efferre; nisi ut ad viciniores tantum Ecclesias Solemnitatis occasione se transferant (*r*), quo quidem casu populus erit antecedenti Festo praemonendus (*s*), nec ullum unquam ex Parochialibus in propria Ecclesia adimplendis officiis praetermittendum.

V. Porro nec otiosa esse debet, nec inutilis residentia Parochorum, quippe qui juxta Sacrosancti

(*o*) Syn. Civit. Castelli 1766. act. 3. c. 3. n. 4.

(*p*) Conc. Trid. cit. Sess. 23. c. 1. Syn. Bajardi l. c. cit. Append. ad Syn. Fulginat.

(*q*) Bened. XIV. cit. Notif. 17. n. 18. Syn. supradict., aliaeq. plurimae.

(*r*) Syn. Urbin. 1753. Sess. 3. tit. 4. §. 8., & ejus Appendix Syn. Anconit. 1779. p. 1. tit. 4. §. *Diebus festis*. Syn. Ferrarien. 1761. p. 4. c. 5. n. 35.

(*s*) Syn. Castelli c. 9. §. *A residentia*.

Tridentini Concilii monita toti in eo tenentur esse, ut populum sibi creditum vigili custodia servent. Quapropter ubi ad Ecclesiam primum pervenerint, suas oves cognoscere satagant, earumque indolem, studia, mores. At nimium Parochianorum frequentiam, familiaritatemque evitent. In Ecclesia assidue, in viis, plateisque raro, in comessationibus, ludicrisque congressibus nunquam versentur; neque enim diu gravitatem servabunt suam, si se subditorum coetibus frequenter immisceant (*t*). Saepe cum Hieronymo cogitent, *in se omnium oculos dirigi*, *domum suam*, *& conversationem suam quasi in specula constitutam magistram esse publicae disciplinae: quidquid fecerint*, *id sibi omnes faciendum putare* (*u*); unde suos actus omnes ad charitatis, prudentiae, Ecclesiasticique decoris normam componere studeant, non solum ut vitae integritate, morumque innocentia facem suis ovibus praebeant, verum etiam, *ut si quis ex adverso est*, *vereatur nihil habens malum dicere de nobis* (*x*), quod Animarum Rectoribus cordi esse plurimum debet, cum ipsorum maxime referat apud populos suos existimatione florere, ut facilius, utiliusque possint tum privatis monitis, tum publicis exhortationibus a vitiis illos avertere, atque excitare ad virtutes.

VI. Alteram hinc, eamque gravissimam Pastoralis intelligent muneris partem, sui nempe gregis Divini verbi praedicatione pascendi: cui quidem, ut plane pro debito satisfaciant, quae Sessione I. tit. III. praescripsimus, frequenter legant, atque exequi curent. Duo tantum hic addere juvat, alterum, Divino ipsos ad praedicandum urgeri jure (*y*), nec ullam ideo admitti posse in contrarium excusationem; alte-

L

(*t*) Syn. Tuscul. 1763. p. 1. c. 23. art. 3. n. 2.
(*u*) Hieron. Epist. 3. ad Heliodor.
(*x*) Tit. n. 8.
(*y*) Conc. Trid. Sess. 23. c. 1. de Ref.

rum supellectilem quamdam necessariam esse librorum, non ut in persuasibilibus humanae sapientiae verbis (z), quod Apostolus damnat, loquantur, sed ut opportune, apteque pro viribus bene meditata propinent. Quapropter, praeter Breviarium, Rituale Romanum, Codicesque veteris, ac novi Testamenti, & Cathechismum Concilii Tridentini, quos alibi retinendos esse indiximus libros, aliquos etiam penes se habeant asceticos, & sanioris notae theologico-morales tractatus, quibus utentes & se ipsos erudiant, & instruant alios. In primis autem orationi instare non cessent, ut dum ipsi plantant, ac rigant, incrementum det Deus (*aa*), sine quo diu, noctuque laborantes nihil capient (*bb*), eorumque vox erit velut aes sonans, aut cymbalum tinniens (*cc*). Meminerint interim praeter Divini verbi praedicationem ad Christianae doctrinae rudimenta tradenda aeque teneri, cumque hac de re abunde satis egerimus Sess. I. tit. II., illud hic unum addemus, ne latum quidem unguem ab iis discedendum, quae ibi occasione data praescripsimus.

VII. Sacrificium praeterea pro suis ovibus Deo offerre Animarum Pastores tenentur: quod quidem, a Tridentino Concilio jampridem injunctum, a Benedicto XIV. in celebri sua Constitutione *Cum semper* (*dd*) ita fuit declaratum, ut nullum amplius sit dubium, quin singulis quibusque Dominicis, festisque de praecepto diebus, quacumque non obstante consuetudine, ab iis sit omnino applicanda pro suo populo Missa. Illud unum in Nostra potestate esse sciant Parochi, qui vera inopia pressi ex Missarum eleemosynis coguntur sibi comparare sustentatio-

(z) 1. Corinth. 2. 4.
(*aa*) 1. Corinth. 3. 7.
(*bb*) Luc. 5. 5.
(*cc*) 1 Corinth. 13. 1.
(*dd*) Edict. 19. Aug. 1744.

nem, eos scilicet dispensandi (*ee*) ad hoc, ut celebrata semper festis diebus ad populi commoditatem in suis Parochialibus Missa, eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere, & pro eo Sacrificium valeant applicare, dummodo tamen intra hebdomadam tot applicent pro populo Missas, quot festivi occurrerint dies. Hi vero, caeterique insimul omnes serio perpendant, sibi potissimum onus hoc esse impositum, ut assiduas fundant pro gregibus suis ad Deum preces, Divinamque indignationem populorum delictis merito lacessitam Sacrificiis, orationibus, jejuniis, aliisque Christianae pietatis operibus placare contendant. Quo enim poterit pacto Pastoris, patrisque gloriari nomine, qui a filiis, ovibusque suis tum temporales aerumnas, tum maxime spirituales avertere, Divinaeque bonitatis divitias in gregem suum negligat efflagitare? Oret igitur bonus Pastor assidue, & *quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerat* (*ff*), preces, & hostias, sic enim & seipsum salvum faciet (*gg*), & eos, quorum ipsi animae creditae sunt.

VIII. Est & Sacramentorum administratio, quae sic ad Animarum spectat Rectores, ut ex ipsis quaedam privative quoad alios quoscumque Praesbyteros sui sint juris. De iis alibi redibit sermo. Nunc Parochos omnes Nostros vehementer in Domino hortamur, ut secum animo reputantes, Ministros se esse Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei (*hh*), sancte Sancta tractare studeant, & nihil unquam agentes, quo tale, tantumque Ministerium vituperetur (*ii*), exteriori ea se gerant gravitate, ac modestia, qua interiorem fidem, pietatem, religionemque suam valeant ostendere. Meminerint in primis extra casum necessi-

(*ee*) Dict. Const. §. *Quia vero*.
(*ff*) Haebr. 5. 3.
(*gg*) 1. Timoth. 4. 16.
(*hh*) 1. Corinth. 4. 1.
(*ii*) 2. Corinth. 6. 3.

tatis sub arbitraria poena vestem semper talarem in Sacramentorum administratione esse adhibendam (*kk*). Ad ea vero petenti cuilibet ministranda faciles, promptosque se exhibeant, utque ad Confessiones praesertim audiendas nullo unquam pacto desiderentur, festis quibusque diebus in sede Confessionali maneant patienter expositi (*ll*), Eum, qui peccatores quaerere venit, illos saltem expectando, imitantes.

IX. Pauperum tandem, aliarumque miserabilium personarum, ut Tridentina admonet Synodus, paternam gerere curam non negligant, ne ii, quos veluti filios fovere, tuerique debent, pupillos factos esse absque Patre conquerantur (*mm*). Consilium igitur, auxiliumque opportune illis praebeant, neque operam, studia, atque etiam pro modo suo pecunias recusent impendere, *scientes nihil aliud esse res Ecclesiae, nisi patrimonia pauperum* (*nn*), *& res pauperum non dare pauperibus, par sacrilegio crimen esse* (*oo*). In primis autem infirmos invisere, eosque tum praesentia sua, tum salutaribus verbis solari diligentissime satagant. Vocati, quocumque remoto praetextu, praesto sint semper, atque etiam non vocati accedant, ut illos potissimum ad Sacramenta rite suscipienda disponant. Gravissimas luent secus agentes poenas, maxime vero, si sua quis culpa decesserit non Sacramentis munitus (*pp*). Haud tamen proprio arbitrentur muneri satisfecisse, si aegrotos Sacro jam Viatico, & extrema Unctione refectos illico derelinquant. Crudele hoc, impiumque facinus execrantes, debita morientibus persolvant officia, piisque a Romano Ri-

(*kk*) Vid. Epist. Pastoral. ad Paroch. 15. April. 1785

(*ll*) Syn. Fulgin. 1722. c. 7. n. 15. Syn. Civit. Castelli 1766. act. 2. c. 3. n. 14. Syn. Ancon. 1779. p. 1. tit. 4. §. *Quarto*.

(*mm*) Thren. 5. 3.

(*nn*) S. Prosp. l. 2. de Vit. Activ. c. 9.

(*oo*) S. Bernard. in declam. c. 7.

(*pp*) Syn. Ancon. 1779. p. 1. t. 4. §. *In visitatione*.

tuali praescriptis precibus eorum agonem Deo ad ultimum usque spiritum vitae commendent.

X. Verum non opem modo viventibus ferre, sed & defunctorum curare funera Parochos decet. Caveant tamen omnino, ne sua magis quaeritare in funeribus lucra, quam animarum expiationem videantur. Indignum sane, ac prorsus inhumanum foret spectaculum, si afflictis, lugentibusque consanguineis, nova a Parocho emolumenta inhiante adderetur afflictio. Quamobrem cum in omnibus semper, tum in his praecipue casibus omnem a se avaritiae suspicionem amoveant. Quod meminisse aeque juvabit quoties, ut ruralibus evenire frequenter solet Animarum Rectoribus, ad conscribenda Testamenta vocantur; nec facto enim, nec verbo Testatores suadere debent, aut aliqua ratione allicere, ut vel sibi, vel Ecclesiae suae quidquam legent; imo eos monere tenentur, ut sacris justitiae servatis legibus, proximioribus suis sua bona relinquant. Quoniam vero Testamenta memoravimus, quae de jure Canonico (*qq*) ad caussas etiam profanas a Parochis conscribuntur, ea omnia adamussim servari praecipimus, quae Praedecessor Noster Bajardus ex Benedicti XIV. penu (*rr*) deprompta in ultima praescripsit Synodo (*ss*), formulamque ab ipso traditam, quae dabitur in Appendice (*tt*), omnino adhiberi. Duo solum hic addimus, alterum, quod nullum exigant unquam pro Testamenti scriptione stipendium, alterum, quod intra mensem sub arbitraria poena ad Nostram deferant conscriptum Testamentum Cancellariam (*uu*).

XI. Funerum occasione, seu funeralium officiorum, atque etiam Festivitatum, quae in Parochiali-

(*qq*) Cap. *Cum esses* 10. de Testam.
(*rr*) Bened. XIV. Notif. 105. per tot.
(*ss*) Syn. Bajardi p. 2. c. 6.
(*tt*) Vid. Append. Num. VIII.
(*uu*) Syn. Anconit. 1779. p. 1. t. 4. §. *Cum Parochi*.

bus celebrantur Ecclesiis, convenientes Parochi, Sacerdotesque ita se exibeant modesti, graves, compositi, ut populis sint exemplo, sibique invicem aedificationi. Ubi refectio habeatur, Sacrificia Mortuorum ne comedant, neque in comessationibus, & ebrietatibus, esse ventri indulgendum putent. Audiant ex Tertulliano (*xx*) qui apud Christianos mos obtinuerit conviviorum primis Ecclesiae saeculis, eumque imitari studeant. *Nihil vanitatis* (Christianorum convivium), *nihil immodestiae admittit. Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum praegustetur. Editur, quantum esurientes cupiunt, bibitur, quantum pudicis est utile: ita saturantur, ut qui meminerint, etiam per noctem adorandum Deum sibi esse; ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Oratio convivium dirimit*. Parca igitur, ac prorsus frugali contenti semper sint mensa tribus appositis tantum, vel quatuor ad summum ferculis (*yy*), eaque omnino partim lectione condiatur, partim sermonibus Ecclesiastico conventu dignis. Nunquam ad illam accedant, nisi Benedictione praemissa, & nisi gratiis Deo actis nunquam recedant. Laici raro admittantur, iique tantum spectatae honestatis, ac famae; Faeminae nunquam (*zz*). Ludricos actus, alearumque lusus praecsertim ante mensam, atque incompositos interdicimus, poena lusoribus quibuscumque trium aureorum statuta, & aureorum quinque Parocho, in cujus ludetur aedibus. Quod deferenda semper nigri, seu subobscuri coloris veste, deque armorum, ac sclopi vetito usu alibi diximus, id officiorum, Festivitatumque occasione absolute servari volumus, gravibus etiam, ut

(*xx*) Tertullian. Appologetic. c. 39.

(*yy*) Syn. Fulginat. 1722. c. 21. n. 8., ibiq. allegat. Synod. Forolivien. 1764. c. 15. n. 23. Syn. Anconit. 1779 p. 1. tit. 4.

(*zz*) Can. *Non liceat* final. dist. 44. Syn. supradict. Fulgin. & Anconit. loc. cit. Syn. Ferrarien. 1781. p. 4. c. 1. n. 12., & c. 5. n. 33.

superiori tit. I. n. VII. innuimus, interpositis poenis.

XII. Habeat Curator quisque Animarum libros penes se Matrimoniorum, ac Defunctorum. Ubi fons est Baptismalis, Baptizatorum quoque sit liber. Confirmatorum retineant cathalogum Parochi illi, in quorum Ecclesiis Confirmationis Sacramentum consuetum est ministrari. Libri ii omnes compacti firmiter erunt, numeratas singulas habentes paginas, & ad Romani Ritualis regulas accurate conscripti. Singulis praeterea annis animarum omnium Parochiae suae censum perscribant, quem in codicem referant, cui titulus sit *Status Animarum*, ejusque exemplar fideliter transcriptum, suaque subscriptione munitum intra triginta a Festo Paschatis dies ad Nostram mittant Cancellariam (*aaa*). Negligentes, inexacti, infideles debita pro merito multa plectentur. Tabularium quoque, sive, ut vocant, Archivum unaquaeque habeat Parochialis Ecclesia ferrea sera, clavique claudendum, in quo cunctae ad Ecclesiam spectantes custodiantur scripturae, quarum Inventarium Parochus quisque duos post menses ab hujusce Synodi Nostrae publicatione sive ad Nos ipsos, sive ad Generalem Vicarium Nostrum curabit transmittere. Pandectas quoque Missarum vel pro populo eae sint celebratae, vel pro alia quacumque Ecclesiae obligatione exacte servent, easque revidendas ante decimum Januarii diem in Civitate ad Generalem Vicarium, in Dioecesi ad Vicarios Foraneos, sive ad Revisores a Nobis specialiter deputatos quotannis ferant (*bbb*). Index tandem Legatorum, Anniversariorum, onerumque omnium Missarum distincte descriptus in Sacrario appositus semper pateat, quod quidem tum Parochialibus, tum caeteris quibusque aliis volumus esse injunctum Ecclesiis.

(*aaa*) Syn. Viterbien. 1762. tit. 4. c. 3. n. 10. Syn. Civit. Castelli 1766. act. 3. c. 3. n. 13.

(*bbb*) Bened. XIV. Encycl. *Cum semper* 103. sui Bull. Brasch. promptuar. c. 107. n. 25. Idem de Syn. Dioec. l. 13. c. 7. n. 4.

XIII. Quae hactenus recensuimus Parochorum munia, ita universi Animarum Rectores credant ad se spectare, ut minime suo solutos se onere putent, si Coadjutorum, Capellanorumque suorum utantur opera; non enim ad suam fovendam desidiam, sed ad majorem populorum commoditatem provisum est, ut illos habeant in ministerio auxiliatores. Per se igitur & Sacramenta ministrent, & populos instruant, & morientibus adsint, rationem secus strictissimam & Nobis, & Deo reddituri. Aqua item lustrali majori in Hebdomada singulas Parochianorum aspergere domos, candelas Sacro Purificationis B. M. V. die, olivarum ramos palmarum Dominica, puerperas, ubi opus fuerit, benedicere nunquam omittant. Vineis etiam, frugibus, cibis, aliisque rebus juxta Romani Ritualis praescriptum benedictionem impertiantur.

XIV. Neminem ignorare credimus Parochorum Nostrorum, sua adeo sacra esse jura, ut sartatecta omnino servari debeant. Haud tamen ita tueri ea oportet, ut facile lites, simultatesque oriantur. Meminerint, se patres esse populorum suorum, nec qualibet unquam ex caussa charitatis obliviscantur paternae. Summum jus summam esse injuriam existiment, discordiasque, quantum in ipsis est, dirimere potius studeant, quam excitare. Sciant imo, sibi esse hoc impositum onus, ut boni Pastoris exemplo discordibus etiam familiis afferant pacem (*ccc*). Inter Parochialia jura principem illud obtinere locum perpendant, in Ecclesiis scilicet suis, quod caeteris omnibus vetitum est, sacrosanctam adservandi Eucharistiam. Hujus autem ita sint custodes, ac vindices, ut nunquam sibi fas esse persuadeant nec tenuitate redituum, nec paucitate Parochianorum, nec contraria consuetudine, nec quod in proxima adservetur Parochia, impune posse abdicare (*ddd*). Parochi igitur omnes,

(*ccc*) Can. *Studendum* 7., & seg. dist. 90.

(*ddd*) S. C. C. in Fulginaten. 19. Aug. 1752. Syn. Bajardi

& singuli Divinum hoc Sacramentum in majori Ecclesiae suae Altari face semper collucente retineant, poenas aliter Nobis aut avaritiae suae, aut suae negligentiae absque spe veniae daturi.

XV. Rectori cuique Animarum vi morbi correpto, vicinior Parochus cuncta praestabit Christianae pietatis officia, extrema etiam ministrando Ecclesiae Sacramenta. Quod si morte aegrotus commutaverit vitam, omnibus ab ipso funebribus quoque peractis functionibus, confectoque rerum Ecclesiae, Scripturarumque Inventario (*eee*), Nos illico certiores reddet, Parochiae interim curam gerens, donec vacanti consulamus Ecclesiae idoneum seligentes Oeconomum. Omnes interim Nostros obsecramus Parochos, ut, quae superius de vita, & honestate Clericorum ediximus, tamquam sibi potissimum dicta frequenter legant, quumque non sine ingenti animi moerore considerare. fas sit, quo loco Christiana respublica nostra hac aetate sit posita, quibusque calamitatibus, ac Divinae iracundiae flagellis ipsa quoque nostra Oppida recens afflicta fuerint, eaque omnia non solum propter populi Christiani, sed multo etiam magis propter Ecclesiasticorum hominum peccata nobis evenire pro comperto habere debeant, quemadmodum strenuos decet, nec mercenarios Christi gregis Pastores, ante suas oves bonorum operum exemplo vadant (*fff*), eo vel maxime, ut quum Pastorum Princeps ipsos erit visitaturus, villicationisque petiturus rationes, durissimum effugiant, quod iis, qui praesunt, fiet judicium (*ggg*), promissamque fidelibus servis, prudentibusque administris sortiantur mercedem (*hhh*).

M

p. 2. c. 4. §. *Hinc strictissime*, & auctoritat. ibi allegat.

(*eee*) Syn. Bajardi p. 6. c. 1. §. *Ut autem*. Syn. Anconit. 1779. p. 1. t. 4. Syn. Ferrarien. 1781. p. 4. c. 5. n. 36.

(*fff*) Joan. 10. 4.

(*ggg*) Sap. 6. 6.

(*hhh*) Matth. 25. 11. 23.

TITULUS VII.

De Vicario Generali, & Foraneis.

I. Vicarius Generalis Episcopi, ejusque Officialis primarius in spirituali, ac temporali Dioecesis regimine ita ad munus assumitur, ut, dum suam cum eo partitur Episcopus auctoritatem, sollicitudinem etiam, laboremque partiatur. Quamobrem, qui Nostrae infirmitatis adjutor Nostras gerit hac in Dioecesi vices, eam sibi constituat agendi rationem, ut pastorale gravissimum impositum Nobis onus sublevare non pigeat, Nosque tum consilio suo, tum sua opera juvet, unde Dei gloriam, animarumque salutem conlatis insimul studiis facilius, uberiusque promoveamus. Debitus huic ubique reddatur honor, primamque Sedem in Choro, primumque in omnibus semper functionibus obtineat locum. Ubi aderit Choro, Chori ipse erit Praefectus (*a*): alio quocumque in loco subditi meminerint omnes, eum Superioris sustinere personam, Deoque ipsi tribui, qui Superiori tribuitur honor.

II. Vicarii Foranei veterum Chor-Episcoporum loco suffecti ita eam sibi delatam esse censeant provinciam, ut ipsorum potissimum vigilantia, ac cura sanctae per Dioecesim custodiantur ubique leges, nihilque Nos lateat, quod aut emendatione sit dignum, aut animadversione. Zelo igitur Divinum zelantes honorem Parochorum, Sacerdotum, caeterorumque Ecclesiae Ministrorum vitam, conversationemque scrutati, quicquid minus rectum esse compererint, respectu quocumque posthabito, & sola coram Deo veritate perspecta, continuo ad Nos deferant. Volumus autem sub poena immediatae privationis officii, ut bis in anno, Junii scilicet, ac Decembris mensibus

(*a*) Syn. Bajardi p. 3. c. 9. §. *Praefectus*.

de rerum omnium ad suam spectantium jurisdictionem statu exactam ad Nos relationem transmittant, in qua tum quae Ecclesias, Praesbyteros, Clericosque, atque illorum praecipue disciplinam respiciunt; distincta sint, tum etiam quae ad populorum pertinent mores, & ea praesertim, quae pro spirituali eorum bono specialem merentur mentionem, fideliter indigitentur (*b*).

III. Curent Vicarii Foranei, ut Synodales hae Nostrae Constitutiones ita plenam ab omnibus observantiam obtineant, ut nemo unus in suo sit Vicariatu, qui eas audeat violare. Quod ut assequantur facilius, & eas ipsi legant frequenter, & studeant accurate observare. Edita quoque in Sacris Visitationibus a Nobis decreta prae oculis habeant, utque demandentur exequutioni, pro viribus urgeant. Rurales Ecclesias, aedesque Parochiales adnexas, colonicas Ecclesiarum domos, & agros, vineasque ad Ecclesias, seu pia Loca pertinentes quandoque invisant, tum ut ingruentibus remedia suggerant malis, tum ut exactam Nobis referant opportune rationem. Ecclesiasticos quoscumque viros a mensualibus casuum conferentiis absentes, Animarum Rectores sive in Christiana tradenda doctrina, sive in officii sui munere desides, Clericos saecularibus implicatos negociis, saeculariumque mores imitantes Nobis renuntiare nunquam omittant. Populorum item pietatem, Parochorum concordiam, Templorum religionem, decoremque fovere assidua sollicitudine satagant.

IV. Quemadmodum Vicariorum Foraneorum electio a Nostro pendet arbitrio, ita Nostrum est ipsis, quam maluerimus, auctoritatem, jurisdictionemque concedere. Praedecessorum igitur Nostrorum inhaerentes sanctionibus (*c*), nullam eos in Criminalibus

(*b*) Syn. Fulginaten. 1722. c. 17. n. 7.
(*c*) Syn. Fabretti c. 18. Syn. Bajardi p. 3. c. 15.

potestatem habere decernimus, & denunciationes, querelasque ad ipsos delatas intra tres dies sive ad Nos, sive ad Nostrum Generalem Vicarium statuimus esse mittendas. Quoad Civilia vero in causis summam non excedentibus aureorum quinque monetae Romanae, ubi tamen de re non agatur tractum successivum habente, fas eis erit jus dicere. In mulierum, minorumque contractibus nunquam interponent decretum, nisi speciali Nostra delegatione muniti. Praecepta de non conversando expedire, cautiones exigere de conservando foetu tum a foeminis, quae ex illegitimo complexu conceperint, tum ab ipsarum parentibus, sequestra pro Missarum, Legatorumque piorum satisfactione relaxare & poterunt, & debebunt. Initio cujuslibet anni pandectas omnes Missarum anno anteacto celebraturam una cum Revisoribus a Nobis designatis recognoscent, erroresque ad Nos, si quos invenerint, deferent. Quae alibi tandem aut ipsis agenda esse praescripsimus, aut observanda, nullo unquam negligant pacto: quinimo quum Nostras gerendo vices prae caeteris, ut expresse mandamus, sint honorandi, prae caeteris etiam virtutum exemplo praefulgeant, & tamquam lucernae super Candelabrum positae probitatis, prudenque luce clarescant.

TITULUS VIII.

De Clericis Seminarii; eorumque Moderatoribus.

I. Inter plurima, quae Spiritu Sancto dictante sapientissime Tridentini statuere Patres, haud ultimum sane sibi vindicant locum, quae de erigendis Clericorum Seminariis fuerunt decreta (*a*). Quum enim Divino certum sit oraculo, *adolescentulos juxta viam suam etiam cum senuerint, non recessuros ab*

(*a*) Conc. Trid. sess. 23. de Ref. c. 18.

ea (*b*), exploratum profecto est, maximam tum in ipsos, tum in Christianam quoque rempublicam profecturam utilitatem, si a teneris annis ad pietatem, religionemque informentur. Erecta felici auspicio fuere hisce in Dioecesibus ab ipsa Episcopalis Cathedrae fundatione sancta haec innocentiae confugia, justaeque Praedecessoribus Nostris tribuendae laudes, qui suam in iis partim exornandis, partim opportunis muniendis legibus navarunt operam. Ipsorum exempla sequuti omnem & Nos curam, solertiamque adhibuimus, ut nihil in Nostris desideretur Seminariis, quod ad juvenum excolendum ingenium, ac religionem fovendam, augendamque aptum esse videatur. Ne tamen unquam ejus, quae tenenda est, disciplinae obliteretur memoria, praecipua hic ex Divi Caroli excerpta institutionibus (*c*) perstringimus capita Synodali firmitate munita.

II. Cooptandi inter Seminarii Alumnos ii tantum erunt, qui *habuerint ad minimum duodecim annos, & ex legitimo Matrimonio nati sint, ac legere, & scribere noverint, & quorum indoles, & voluntas spem afferat, eos Ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros* (*d*). Pauperum filii caeteris omnibus praeferentur: ii vero, aeque alii quicumque gratis alendi, prout quoque Nostri sanxere Praedecessores (*e*), de alimentis Seminario restituendis, si Ecclesiastica relicta militia ad conditionem redeant Laicalem, cautionem omnino dabunt, nec enim aliter a respectivis Rectoribus, sive Oeconomis admittentur. Admissi clericali initientur Tonsura, talaremque semper violacei coloris deferant vestem. Constitutiones a Nobis sive prae-

(*b*) Proverb. 22. 6.

(*c*) Act. Mediolan. p. 5.

(*d*) Conc. Trid. loc. cit.

(*e*) Syn. Barusii de Cler. Semin. t. 22. Syn. Castelli t. eod. c. 23. Syn. Fabretti c. 11. Syn. Bajardi p. 3. c. 17. Syn. Anconit. 1779. p. 3. t. 3. Syn. Ferrarien. 1781. p. 4. c. 6. n. 15.

scriptas, sive adprobatas, horariamque tabulam adamussim observent, suisque tum moderatoribus, tum praeceptoribus reverentiam, obedientiamque maximam praestent. Ad Cathedralem Nostram Ecclesiam, quique in Mercatellensi, & Saxicorvariensi Seminario degunt Alumni, ad respectivas Collegiatas quibuslibet conveniant festis diebus, ac singulis intersint Canonicis horis, Missaeque solemni, & caeteris sacris functionibus semper inserviant; qua de re suum quemque vellemus habere Breviarium, ut omnes possent una cum Canonicis psallere. Canonicos eosdem revereantur, ut decet, Chorique in primis Praefectum, cujus in iis, quae ad Chorum spectant, jussis obtemperabunt. Bis saltem in mense Poenitentiae Sacramento expiati ad Sacram accedent Synaxim, ac singulis quibusque annis a Passionis hebdomada ad hebdomadam Majorem spiritualibus exercitationibus sub Directore a Nobis deputando vacabunt. Meditandi, orandi, sacrumque audiendi tempus, ac normam, supradictae indicabunt Constitutiones, ex quibus etiam & quae animi relaxandi gratia permissa erunt, & quae negata patebit.

III. Pauca haec de pietatis, morumque disciplina, quam Domi, forisque Seminarii Alumni servare debent, cum plura in Constitutionibus sint opportune, luculenterque praescripta. Ad scientias quod attinet, praeter Grammatices, Rhetorices, Philosophiaeque, ac Theologiae studia, ad cantum etiam Gregorianum, atque ad Sacros addiscendos ritus, Ecclesiaeque coeremonias sedula se cura exercebunt. Negligentes, ignavi, impatientesque laboris a moderatoribus correpti, ni resipiscant, ad Nos deferantur pro modo culpae etiam expulsione puniendi. Datam litteris operam experimento singulis annis vel coram Nobis, vel coram Nostro Vicario Generali probabunt, antequam Septembri mense feriarum caussa suas repetant, Nobis annuentibus, domos.

IV. Praecipuus Constitutionum vindex, ac custos Seminarii erit Rector. *Saepius hic animo repetat, quam grave suis humeris onus incumbat, cum ab eorum, qui in Seminario vivunt recta institutione, totius Dioecesis reformatio pendeat. Quapropter Divinae in primis gloriae amplificationem, Clericorum in omni virtute perfectionem semper ante oculos habeat, & ad eum finem omnes cogitationes referat, & curas* (*f*). Comis caeteroquin, ac facilis amore magis, quam imperio suos regat Alumnos, rogatus justa libenter concedat, sed neget omnino & quae minus aequa sibi videantur, & quae parum opportuna. Nemini Superiores Seminarii aedes ad colloquendum cum Alumnis sine sua licentia permittat ingredi; foeminis autem nullo unquam pacto id concedat. Pernoctandi extra Seminarii septa potestatem Alumnis non faciat sine Nostra, aut Vicarii Nostri Generalis danda in scriptis venia. Ut quies, ordo, ac disciplina serventur, toto animo intendat, Nosque de Seminarii statu, deque Praeceptorum, Praefectorum, ac Clericorum moribus, actionibusque interdum monere non negligat. Post Rectorem, Praeceptores, sive Magistri primarium obtinent locum, ideoque & ipsi eas in se virtutes debent exprimere, quas in suis auditoribus requirunt. Quotidianas ludi exercitationes, ac studia pia aliqua oratione inchoent, itemque concludant. In suis sint officiis diligentissimi, statisque horis ingrediantur gymnasium, ne soli sine moderatore sint unquam adolescentes. De iis, qui exactiores in suis erunt studiis, itemque de negligentioribus tum Rectori, tum Nobismetipsis, si opus fuerit, certam reddent opportune rationem. Praefecti tandem sciant, se assiduos constitutos esse juvenum speculatores, nec ideo posse illos unquam derelinquere vel in Seminario ii sint, vel recreationis tempore alio concesserint. Si quem

(*f*) Div. Carol. in act. Mediolan. p. 5. instit. Semin. c. 2.

officio suo deesse compererint, notent, Rectoremque faciant certiorem. Id autem praesertim efficiant, ut ab iis, ubicumque fuerint, modestiae ratio habeatur, quod maxime in Ecclesia, & in Choro curandum est; utque illi omnes, qui suae commissi sunt curae, proprio nunquam muneri desint, optimo semper quacumque in re praeeant ipsis exemplo.

V. Seminarii familiaris res tota ab Oeconomi administratione pendebit. Ipse autem, ubi de aliquo magni momenti agendum erit negocio & Rectorem audire debebit, & Seminarii consulere Deputatos. Quatuor hi semper erunt juxta Tridentini praescriptum (*g*); duo de Capitulo, a Nobis alter, alter ab ipso Capitulo eligendus, duoque de Clero, quorum alterius ad Clerum ipsum, alterius ad Nos spectabit electio. Horum consilio, & opera in ipsius Oeconomi discutiendis quotannis rationibus utemur, ipsorumque libenter, quotiescumque opus fuerit & requiremus sententiam, & audiemus; integrum tamen semper Nobis fore censentes, quae meliora in Domino visa fuerint, pro arbitrio Nostro statuere (*h*). Duos insuper seniores, gravioresque eligemus Canonicos (*i*), quos ad Seminarii advocabimus regimen, quorumque erit munus sedulo invigilare, ut quae ad optimam adolescientium institutionem constituta a Nobis fuere, perpetuo, inviolateque serventur.

TITULUS IX.

De Regularibus.

I. Tot, tantaque sunt in Ecclesiam Catholicam Regularium Ordinum merita, ut multiplicibus

(*g*) Conc. Trid. sess. 23. de Ref. c. 18.

(*h*) S. C. C. in Fundan. 26. Mart. 1589. In Tricarien. 24. Mart. 1736 Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 5. c. 11. n. 5. & seqq.

(*i*) Conc. Trid. loc. cit.

privilegiis rite donati, ea sartatecta haberi optimo expostulent jure. Quamobrem nihil iis unquam volentes detrahi, quorum in Nostri Ministerii adjutorium nec semel jam adhibuimus, nec futuro tempore recusabimus operam, ita hoc in Titulo, quae de Episcopali in Regulares auctoritate sive a Concilii Tridentini, sive a Summorum Pontificum, Sacrarumque Romanae Urbis Congregationum decretis statuta fuere, congerimus, ut ipsorum potius indemnitati, quam Nostrae consulamus jurisdictioni.

II. Si Christianum quemque hominem *implere decet omnem justitiam* (*a*), id iis maxime convenit, qui peculiari D. O. M. misericordia a saeculi servitute soluti Evangelicam professi sunt perfectionem. Hoc igitur Coenobitae secum animo reputantes, diligentissime caveant, ne mores sui suae professioni obsistant, neve Regularium Ordinum adversariis, quos infelici hac aetate tam multos esse jam norunt, novam calumniarum praebeant, injuriarumque occasionem. Quod si suae conditionis misere obliti extra Claustra degentes deliquerint, Nostra plectentur auctoritate (*b*). Si vero, quamvis intra Claustra vel prope, vel intra Ecclesiam notorie, publiceque peccando populo intulerint scandalum, pro gravitate delicti a Superioribus suis, praefinito tamen a Nobis tempore, punientur, quin possint alio amandari, antequam de irrogata poena (*c*) redditi Nos ipsi fuerimus authentico testimonio certiores.

III. Quum Regularium nemo, Sacra ita definiente Tridentina Synodo (*d*), Sacramentales saecularium etiam Sacerdotum possit excipere Confessiones, nisi

(*a*) Matth. 3. 15.

(*b*) Cap. final. §. *Si vero* de stat. Monachor. Conc. Trid. Sess. 6. de Ref. c. 3 & Sess. 25. de Regular. c. 14.

(*c*) Clem. VIII. Const. *Suscepti muneris* 39.

(*d*) Sess. 23. de Ref. c. 15. Bened. XIV. Const. *Apostolicum Ministerium* §. 7.

facta a Dioecesano Episcopo potestate, hinc de eorum idoneitate judicaturi, a quibus id munus erit explendum, examini quemque, si ita expedire videbitur, subjiciemus; nec tamen impertiemur facultatem, quin prius juxta Romani Concilii Sanctionem (*e*) a Coenobii Moderatore vitae disciplinam, probitatemque litteris commendatam accipiamus, sciamusque, an praeclara D. Caroli ad Confessores monita calleant. Absolvendi potestate muniti iis devincti erunt omnino legibus, quas Sessione III. Tit. *de Poenitentiae Sacramento* enumerabimus, firmo tamen remanente decreto, quod Sessione I. Tit. IX. num. IV. jam edidimus.

IV. Sacram in Ecclesiis suis ministrare Eucharistiam liberum erit Regularibus, uno tantum excepto solemni Paschatis die (*f*). Haud tamen eam saecularibus poterunt deferre infirmis, licet in Monasterio hospitentur, dummodo non sint Monasterii ipsius familiares, quo nomine ii indicantur, qui actu Monasterio inserviunt, & a Superioris imperio pendentes Monasterii aluntur expensis (*g*). Idem de extrema ministranda Unctione dicendum est, & reservatam Summo Pontifici Excommunicationem incurreret tum hoc Sacramentum, tum Sacrum Viaticum Regularis quisque Parocho invito ministrans (*h*). Vetitum item est Regularibus sine Nostra licentia publice Sacrosanctam fidelium adorationi proferre Hostiam, quamvis privatе possint, ostiolo scilicet tantum Tabernaculi aperto, Pyxideque velata, nullam tamen cum ea impertiendo Benedictionem (*i*). Caeterum quoad exactam

---

(*e*) Conc. Rom. sub Bened. XIII. tit. 32.

(*f*) S. C. C. saepius. Bened. XIV. de Syn. Dioec. lib. 9. c. 16. n. 3.

(*g*) Conc. Trid. Sess. 24. c. 11. de Ref. Bened. XIV. Notif. 55. n. 7. & 8.

(*h*) Clementin. 1. de privileg. Greg. XV. Const. *Inscrutabili*. S. C. C. in Asten. 19. Jan. 1718.

(*i*) Bened. XIV. de Syn. l. 9. c. 15. n. 4. & Notif. 55. loc. cit.

Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti custodiam (*k*), quoad augustissimum Missae Sacrificium, ritusque, qui illud respiciunt (*l*), quoad Indulgentias publicandas, novasque Reliquias, aut Imagines venerationi exponendas (*m*) ita latis a Nobis, ferendisque legibus obnoxios se esse putent, ut, si contra eas deliquerint, Nostrae subjaceant animadversioni. Interim eis praecipimus, ne sub poena suspensionis a suarum Ecclesiarum Sagristis illico incurrenda (*n*) vagum quemquam, & ignotum sive Saecularem, sive alterius Ordinis Sacerdotem ad celebrandum admittant, quin legitima exhibuerit documenta a Nobis, vel a Vicario Nostro Generali subscripta, neve ipsi ad Monialium Ecclesias, praeterquam occasione Solemnitatum, aut officiorum non obtenta a Nobis in scriptis venia accedant celebraturi (*o*).

V. De Regularibus Sacras habituris sive in propria Ecclesia, sive in aliena conciones, loquuti satis alibi sumus (*p*). De iisdem ad Ordines promovendis servanda adamussim esse statuimus, quae a Clemente VIII. (*q*), & a Benedicto XIV. (*r*) sancita fuere. Caveant tamen ii, quos fortasse ab Ordinatione rejiciendos duxerimus, ne ad alium discedant, ordinandi Episcopum, quod nefas esset (*s*). Vetitum quoque est Regularibus in propriis etiam Ecclesiis eo tempo-

---

(*k*) S. C. Episc. 8. Jan. 1724. Bened. XIV. de Syn. loc. cit.

(*l*) Conc. Trid. c. 22. de observand. & evitand. in celeb. Missae. Bened. XIV. loc. cit. n. 5.

(*m*) Conc. Trid. Sess. 2. §. de Invocat. Sanctor. Bened. XIV. loc. sup. cit.

(*n*) Bened. XIV. Const. *Apostolicum* 30. Maii 1753. §. 6. De Syn. loc. cit., & Notif. 34. n. 4. Syn. Neapolit. Card. Spinelli 1743. cit. ab eod. Bened. XIV.

(*o*) Bened. XIV. ead. Notif. 34. n. 7.

(*p*) Vid. sess. 1. tit. 3. n. 3.

(*q*) Decret. 15. Mart. 1596. Conc. Rom. tit. 21. c. 2.

(*r*) Bened. XIV. Const. *Impositi Nobis* 27. Febr. 1747.

(*s*) Const. cit. *Impositi nobis*.

re sermocinari, quo ipse ad populum sermonem habet Episcopus (*t*), qui quidem in qualibet suae Dioecesis Ecclesia ad Regulares etiam spectante & concionari, & Confirmationis ministrare Sacramentum (*u*) omnimoda facultate potitur. Jus illi pariter est in Regularium Ecclesiis Altaria, & Capellas, ad quorum manutentionem Laici, seu Laicorum Sodalitiae tenentur, visitandi, & Legatorum, quorum onera ad ipsos pertinent Laicos, exquirendi adimplementum (*x*).

VI. Ad sacras accedere supplicationes sive ab Ecclesia statutas, sive a Nobis indictas Regulares teneri, jam satis est exploratum (*y*). Ii vero, quibus ab Apostolica Sede Pontificiam elargiendi super populum Benedictionem fuit reservata facultas & petendam a Nobis, & obtinendam esse per tres ante dies veniam meminerint sub poena suspensionis ab omni dignitate, & officio (*z*). Ea tamen Benedictio nec more Episcopali esse debet trina, sed simplex, neque adjunctam habere Diaconi, ac Subdiaconi solemnitatem. Exorcizare pariter Regulares nequibunt, nisi facta a Nobis in scriptis potestate (*aa*), neque ritu publico Sacramentalibus uti absque expresso Parochorum permissu (*bb*). Horum autem ne jura laedant nec Stolam occasione funerum deferant, nec propriam extra Conventus septa erigant Crucem, nec cadavera non expectato Parocho audeant efferre. Ubi ad cadavera eundum est associanda, quamvis in suis tumulan-

(*t*) Bened. XIV. de Syn. lib. 13. c. 17. n. 6.

(*u*) Id. loc. cit.

(*x*) Bened. XIV. de Syn. Dioec. loc. cit. S. C. C. in Forolivien. Visit. Sacr. Limin. 23. Mart. 1764. apud Syn. Forolivien. ejusd. ann c. 22.

(*y*) Con. Trid. sess. 25. c. 13. de Regular. S. C. C. passim.

(*z*) Clem. XIII. Const. *Inexhaustum* 3. Septembr. 1762., & Const. *Decet Romanos* 30. Aug. 1763. Bened. XIV. Const. *Exemplis* 48. Bull. tom. 2.

(*aa*) Bened. XIV. Const. *Magno* 2. Jun. 1750.

(*bb*) Syn. Bajardi p. 3. c. 19. ibiq. allegat.

da sint Ecclesiis, ad Parochialem tamen Regulares convenire, indeque cum Parocho, Cleroque, si adsit, procedere debent (*cc*). Quartam, ut ajunt, funeralem semper Parochiali tribuendam esse Ecclesiae, neminem ignorare arbitramur (*dd*).

VII. Quum sub gravissimis poenis vetitum sit Regularibus foeminas in eorum clausuram admittere (*ee*), clausurae nomine declaramus intelligi quicquid intra Coenobii continentur septa ne atriis quidem, hortisque, ac viridariis exceptis, si muro interjecto a Coenobio ipso non separentur (*ff*). Id igitur notum esse foeminis debet, quae latae sententiae, Summoque Pontifici reservatam incurrent Excommunicationem, si praedictam violare auderent clausuram. Regulares autem monemus, ut nimiam vitent Saecularium familiaritatem, domosque praesertim foeminarum omnino declinent. Meminerint insuper peccare mortaliter, & Excommunicationis, ac privationis activae, & passivae vocis illico subjici poenae, Nostraeque obnoxios fieri animadversioni, si per brevissimum etiam temporis spatium ad Monialium crates accedant, easque sine legitima facultate alloquantur (*gg*). Liberum tamen Nobis erit, si ita expedire visum in Domino fuerit, per quatuor vices quolibet anno suas alloquendi in primo, ac secundo gradu consanguineas dare ipsis veniam, sed iis omnibus servatis legibus, quas Urbanus PP. VIII. praescripsit (*hh*).

VIII. Conventus non suppressi, cujuscumque sint Ordinis, in quibus saltem sex non alantur Religiosi,

(*cc*) Syn supradict. loc. cit.

(*dd*) Bened. XIII Const. *Romanus Pontifex* 28. April. 1725.

(*ee*) Bened. XIV. Const. *Regularis Disciplinae* 3. Jan. 1742.

(*ff*) Syn. Fulginat. 1722. c. 16. n. 10. & auctorit. ibi allegat. S. C. C. in Urbanien. Clausurae 18. April. 1750.

(*gg*) Decret. S. C. C. approbat. a Clem. IX. 7. Jun. 1669.

(*hh*) Urban. VIII. Decret. 20. Novembr. 1623. In Append. num. XI.

quorum ad minus quatuor sint Sacerdotes maturae aetatis, hoc est supra aetatem quadragenariam, visitationi, correctioni, ac omnimodae Nostrae jurisdictioni subjiciuntur (*ii*), quod fortius dicendum est de iis, qui vigore Constitutionis Innocentii X. *Instaurandae* fuere suppressi, ac postea ob rationabiles caussas restituti, donec suis auctis reditibus duodecim saltem Religiosis alendis sint pares (*kk*). Omnes interim, quicumque in Dioecesibus hisce Nostris sunt Regulares, monitos volumus, ut proprii officii memores sanctam ubique disciplinam, quo par est, studio colere, & custodire curent, eumque Christianarum virtutum odorem late spargere adnitantur, quem loci sanctitas, & praeclara Majorum exempla reposcunt. Eos itidem Apostoli verbis hortamur, ut exemplum praebeant *in verbo*, *in conversatione*, *in charitate*, *in fide*, *in castitate* (*ll*), utque *in omni opere bono fructificantes* (*mm*), Nostrique, & Cleri Nostri strenui coadjutores effecti animarum salutem pro suo quisque instituto curare totis viribus, totoque conatu contendant.

TITULUS X.

De Sanctimonialibus.

I. Inter Ordines illos, quibus Christiana coalescit Respublica, enumeranda merito est Virginum classis, quas magni fecit ab initio Ecclesia, cum a tertio usque saeculo *velut illustrior gregis Christi portio habitae sint* (*a*). Quamobrem maximam, peculiaremque obtineant necesse est Pastoralis Nostrae sollicitudinis partem Sacrae illae Virgines, quarum *vita*

(*ii*) Innoc. X. Decret. *Ut in paucis* 10. Febr. 1654.

(*kk*) Cit. Decret. Alex. VII. 27. Jul. 1655. Monacell. Append. ad form. legal. pract. tom. 1.

(*ll*) Timoth. 4 12.

(*mm*) Coloss. 1. 10.

(*a*) S. Cypr. de habit. Virg.

abscondita cum Christo in Deo (*b*) suavissimo fragrare debet sanctitatis odore, atque a Divino, *qui inter lilia pascitur*, *sponso* (*c*) in deliciis haberi. Ac primo quidem ad earum custodiam intendentes animum, quae de Monasteriorum clausura sive Romani sanxere Pontifices (*d*), sive Nostri Praedecessores, adamussim servari praecipimus. Caveant igitur Moniales sub Excommunicationis latae sententiae poena, ne e clausura efferant pedem, & ne intra illam, nisi in casibus a jure permissis, deque licentia Nostra quemquam admittant, quod de pueris quoque, puellisque, quamquam septimum nondum expleverint annum, esse intelligendum sciant (*e*). Generales Monasterium ingrediendi facultates pro personis tantum necessariis, sexto quolibet mense, particulares pro casibus, ac circumstantiis quibuslibet petendae erunt, nec tamen unquam aut a Nobis, aut a Vicario Nostro Generali nisi scripto tradendae. Moniales interim singulas meminisse volumus, quoad clausurae violationem nullam, ut ajunt, parvitatem dari materiae, & solam Monasterii necessitatem, utilitatemque esse inspiciendam, cum de personae alicujus intra clausuram ingressu agendum est (*f*).

II. Nemo proinde intra eandem excipiatur clausuram, nisi hisce, quas omnino praescribimus, servatis legibus. 1. Ut certo campanulae signo Moniales de introitu moneantur, unde opportune secedere

---

(*b*) Collossen. 4. 1.

(*c*) Cantic. 2. 16.

(*d*) Bonif. VIII. Cap. *Periculoso* unic. de statu Regul. in 6. S. Pius V. Const. *Decori* 8. Greg. XIII. Const. *Ubi gratiae* 28. Paullus V. Const. *Monialium* 74. Alexand. VII. Const. *Felici* 156. Bened. XIV. Const. *Salutare* 40.

(*e*) S. C. Episc. ad Pignatell. consult 85. n. 283. Syn. Bajardi p. 3. c. 22. Syn. Civit. Castelli act. 3. c. 7. n. 9.

(*f*) S. C. C. ap. Pignatell. consult. 85. n. 114. Bened. XIV. dict. Const. *Salutare*.

paullulum possint. 2. Ut duae ex senioribus ad id deputatis Monialibus introeuntem ad Monasterii januam excipiant, rectoque deducant tramite, quo tendere debet. 3. Ut qui ingressus fuerit nec inutiles trahat moras, nec inanes misceat confabulationes, nec per Cellas, Monialiumque officinas discurrat, nec tandem aliud ullum peragat officium, quam illud unum, pro quo ingrediendi facultatem obtinuit. 4. Ut urgentissima excepta necessitate, nemo unquam nec ante solis ortum ingredi, nec post solis occasum in Monasterio permittatur manere (*g*). Legibus iisdem & ipsi obstricti erunt Confessarii, qui quidem quum in clausuram pedem inferre nullatenus possint, nisi aut Sacramenta Monialibus ministraturi, aut in extremo vitae periculo laturi opem, tum irreprehensibilem modestiam, gravitatem, religionemque praeseferant, tum superpelliceo semper, ac stola incedant induti. Dum vero aegrotantium confessiones excipient, cellae fores ita patebunt, ut non audiri a Monialibus, sed videri omnimode possint (*h*): nec ipsis tamen, neque alteri unquam cuilibet cibum, potumve intra clausuram sumere quoquo modo licebit (*i*).

III. Interior Monasterii janua diu sit noctuque obserata, nec nisi gravi occurrente necessitate aperiatur. Matutinis in Choro absolutis horis, aperiatur exterior, & ad vespertinum salutationis Angelicae signum claudatur: sicque maneat omnino clausa, quotiescumque aut generaliter Moniales ad Sacram accedunt Synaxim, aut meditationi incumbunt, aut spiritualibus dant operam exercitationibus, itemque Missae, mensaeque, atque etiam Adventus, Quadragesimae, ac praecipuarum totius anni solemnitatum tem-

(*g*) Conc. Mediolan. I. 3. p. tit. 9. de Clausur. Synodique plurimae passim.

(*h*) Nicol. floscul. verb *Clausura* Litt. Encycl. Episcop. de mandat Innoc XI. 21. Mart. 1682.

(*i*) Edict. Urbis jussu Innoc. XI. 19. Novembr. 1686.

poribus (*k*). Portae hujus claves a Monasterii Ministro, qui eam statis adamussim temporibus sub poena privationis officii reserare debebit, & claudere, illius semper a Monasterii Praeposita retineantur. Alteram solum praeter has habebit Monasterium unumquodque portam, quam curruum dicunt, eaque duplici claudetur sera, clavique, interiori nempe ab Abbatissa, exteriori a Ministro custodienda. Reseranda haec erit, quoties suadebit necessitas, Monialibus iis tantum adstantibus, ad quas ex officio spectabit, illico tamen necessitate expleta occludenda (*l*).

IV. Gravissimae Excommunicationis in Laicos, & in Clericos suspensionis comminatae per Sacros Canones poenae (*m*), si absque rationabili caussa, & facultate Ordinarii ad Monasteria, ut Moniales alloquantur, accedant, satis ostendunt, quantum Moniales ipsas, quae Saeculo vale dixerunt, frequenter cum saecularibus personis serere colloquia dedeceat. Eas igitur monemus in Domino, ut raro ad crates descendant, & nunquam aut Adventus, & Quadragesimae tempore, aut praecipuis anni Solemnitatibus, aut quoties sacra refectae sunt Communione (*n*). Exteris vero sive Laici sint, sive Clerici, quacumque dignitate praefulgeant (*o*) sub poenis arbitrio Nostro interdicimus, nisi in primo, aut secundo gradu affines sint, vel consanguinei, ne sine Nostra audeant venia Moniales quocumque tempore alloqui. Interim cratium, rotarumque, quae Ecclesiae respondent, gravi sub poena,

O

(*k*) Edict. cit Innoc. XI.

(*l*) Syn. Anconit. 1779. p. 3. tit. 4. de monaster. clausur, aliaeque.

(*m*) Cap. *Monasteria* 8. de vit. & honest. Cleric. Conc. Trid. de Regular. & Monial. sess. 25. c. 5. S. Pius V. Const. *Circa Pastoralis Officii*.

(*n*) Syn. Bajardi p. 3. c. 22. de accessu omnibus vetito ad Sanctimoniales.

(*o*) Encycl. Bened. XIV. 30. Octobr. 1749. Conc. Mediolanen. 1., & 6. Syn. Callien. 1708. tit. 5. c. 3. §. 3.

quam usque ad excommunicationem, si ita opus erit, extendemus, cuilibet prohibemus usum, Confessario, Capellano, Clericoque Monasterii exceptis, quibus dumtaxat, deque rebus ad Ecclesiam spectantibus loqui erit permissum: sed nemini omnino a Nobis in scriptis potestate non facta ad Monasterii januam sermones conferre fas erit (*p*).

V. Comessationes, refectionesque Monialium etiam consanguineis, aut familiaribus Monasterii paratas in collocutoriis districte inhibemus, aeque ac cantus, sonos, & ludrica quaeque spectacula. Larvatos viros, ac foeminas, circulatores, ludiones, mimos, mulieresque non integrae famae, indicta carceris poena, a collocutoriis proscribimus. Cantilenas, sonitus, ligneorum globulorum, & pilae ludos, itemque vociferationes, clamores, strepitus prope Monasteria, nec non cauponas, tabernasque vinarias intra decem cannarum spatium sub poenis aureorum decem, & carceris volumus esse interdictas (*q*). Ædificia Monasteriis proxima ne ita attollantur, ut ex illis pateat intra clausuram prospectus, neve adeo construantur contigua, ut inde colloquentes audiantur Moniales, poenis arbitrio Nostro reservatis, absolute praecipimus (*r*).

VI. Monialium Ecclesiae ad utrumque Salutationis Angelicae signum meridianum scilicet, ac vespertinum claudantur, nec reserentur occurrentibus etiam Solemnitatibus, nisi mane collucente jam sole, & post

(*p*) S. C. Episcop. sub Greg. XIII. relat. a Pignatell. tom. 6. consult. 85. n. 91. Syn. Bajardi loc. cit. §. *Quibus autem*. Syn. Civit. Castelli 1766. act. 3 c. 7. n. 12. ibiq. allegat. Syn. Anconit. 1779. p. 4. c. 8. n. 12. Syn. Ferrarien. 1781. p. 4. c. 8. n. 12.

(*q*) Edict. Urbis 12. Aug. 1640. apud Crispin. visit. Pastoral. p. 2. §. 40. n. 73. & 108. S. C. Episcop. in Bononien. 20. Jan. 1603. Syn. Civit. Castelli supradict. loc. cit. n. 13.

(*r*) S. C. Episcop. in una S. Benedicti 15. Jan. 1602. & in Mediolanen. ejusd. anni, alibiq. pluries. Syn. Tusculan. 1763. p. 1. c. 25. n. 12.

meridiem cum vespertinae recitandae sunt horae (*s*). Missam in iis celebrare extra Solemnitates absque licentia Nostra nefas est Regularibus (*t*). Saeculares quicumque Praesbyteri, praeter privatae Missae celebrationem, Confessario, Capellanoque excepto, nulli omnino alii, Nobis inconsultis, se se immiscebunt functioni (*u*), neque tamen Missam prandentibus Monialibus celebrabunt privatam, neque Adventus, & Quadragesimae tempore, dum Sacrae habebuntur conciones (*x*). Monialium Festivitates pietate magis, devotioneque, quam inanibus pompis, musicisque clarescant concentibus (*y*). Caveant praesertim, ne cui unquam Festivitatum occasione in Sacrario vel cibum praebeant, vel potum (*z*), Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum nec venerationi exponendum Fidelium, nec dandam cum eo Benedictionem curent, nisi facta a Nobis potestate (*aa*), quod quidem, ut religiose servetur, in unoquoque Ecclesiarum Monialium Sacrario tabellam volumus retineri a Nobis adprobatam, in qua statuti pro Benedictionibus dies indigitentur.

VII. Paupertatem, quam Moniales solemni professae sunt voto, securius, perfectiusque custodient, si, quam felici jam omine amplexatae sunt vitae communis disciplinam, sartam tectam habebunt. Provideant Monasteriorum Praefectae, ne quid iis unquam necessarii desit, ipsae vero *habentes alimenta*, & *quibus tegantur*, *his contentae sint* (*bb*) memores, se re-

(*s*) Conc. Mediolan. IV. p. 3. tit. 11. de Monial. Syn. Fulginat. 1722. c. 14. n. 6.

(*t*) Vid. sup. tit. 9. n. 4.

(*u*) S. C. Episcop. 24. Jan. 1655. Syn. Callien. 1708. tit. 5. c. 3. §. 16.

(*x*) Syn. Feretran. 1734. tit. 2. c. 3.

(*y*) Syn. Bajardi loc. cit. de Monial. Solemnitat.

(*z*) Syn. Bajardi ut supra. Syn. Fulginat. 1722. c. 14. n. 10. Syn. Urbini 1753. tit. 11. §. 7.

(*aa*) Monacel. tom. 1. tit. 6. form. 20. & auctoritat. ibi relat.

(*bb*) Timoth. 6. 8.

rum omnium temporalium abdicasse proprietatem promissa a Christo Domino pauperibus praemia consecuturae, si paupertatis sentiant, non autem refugiant incommoda. Quamobrem nihil omnino habeant, quod sibi vindicent proprium, nihil, quod vanum sit, ac superfluum, quaeque suo usui sunt ipsis concessa, ita custodiant, ut depositarias esse sibi persuadeant, non dominas. Munerum largitiones a Summis Pontificibus Clemente VIII., & Urbano VIII. vetitas (*cc*), & Nos inhibemus, neque eduliorum etiam, aut poculentorum quorumlibet permittimus munuscula, nisi facta a Monasterii Praeposita facultate, quam tamen haud facile indulgebit.

VIII. Obedientiam Praepositis suis impigre Moniales omnes exhibeant, iisque non opere tantum, sed etiam corde subjaceant. Quare illud sibi unaquaeque mente proponat, ut nunquam excusationes obtendat, nunquam ea sibi, quae optabiliora sunt, demandari curet, sed ita imperata excipiat, ut in iis perficiendis maximum se credat obsequium praestare Deo, & suae in eum charitatis gratissimum argumentum praebere. Disciplinae regularis exactissimae se se omnes ostendant cultrices. Chorum nunquam, nisi morbo correptae, deserant, caeterisque communibus actibus quotidie intersint. Dum corpus esca reficitur, ne suum spiritui simul pabulum desit, sacra pii alicujus libri condiatur mensa lectione, quam omnes non modo audire, verum etiam mente percipere studeant. Antequam ad communem ipsam assideant mensam, publica de more Benedictio praecedat, neque ulla e Monialibus a triclinio discedat, quin redditae Deo gratiae fuerint. Nullae nec mittantur, nec recipiantur inconsulta Monasterii Praefecta epistolae (*dd*), eas

(*cc*) Clem. VIII. Const. *Religiosae*. Urban. VIII. Const. *Nuper*. Conc. Rom. tit. 22. c. 3.

(*dd*) Syn. Bajardi loc. cit. *de accessu omnibus vetito &c.* §. *Moniales*.

autem, quas fortasse Sacerdotibus sive Regularibus, sive Saecularibus, qui vel Ordinarii, vel etiam Extraordinarii Confessarii functi sunt munere, scribere Monialis quaecumque vellet, absolute prohibemus (*ee*); quod pariter de epistolis illis indicimus, quae circa spiritus versarentur directionem, cuilibet aee sint dirigendae.

IX. A subditis ad Monasteriorum Praepositas convertendo sermonem, triennali munere exacto novas semper esse eligendas, satis est notum. At per mensem, antequam suum expleat antiqua Praeposita officium certiores Nos esse reddendos meminerit, ut comitiis vel per Nos ipsos, vel per Vicarium Nostrum Generalem praesentes adesse possimus (*ff*). Caveant Moniales, ne industriam ullam adhibeant, ut aliquod sibi captent munus, sed modeste acceptent delatum, atque exercere fideliter curent. Dignior semper, posthabitis partium quarumcumque studiis, in Superiorissam eligatur: Electa vero, priusquam necessariam a Nobis obtineat confirmationem, fidelitatis, atque obedientiae juramentum praestabit (*gg*) juxta formulam a Romano traditam Pontificali in Appendice exhibendam (*hh*). Omnium exinde Mater effecta materna omnes charitate amplectatur, facilemque, ac benignam ita se omnibus praebeat, ut tamen nihil unquam patiatur, quod contra regulas, legesque sit Monasterii, aut contra ea, quae Nos ipsi vel pro recta bonorum administratione, vel pro Regularis disciplinae custodia praescripsimus. Triennio elapso officium dimittens, absolutione de more a Nobis vel a Nostro Generali Vicario reportata, rationes

(*ee*) S. C. Episcop. in Cremonen. ap. Crispin. §. 22. n. 66. Monacell. tom. 3. pag. 91. n. 6. Syn. Urbini 1753. pag. 226.

(*ff*) Conc. Trid. sess. 25. de Regular. & Monial. c. 7.

(*gg*) Monacell. tom. 4. pag. 25. supplement. ad. tom. 1. tit. 4. form. 22. n. 10.

(*hh*) Vid. Append. n. XII.

illico reddat, codicesque administrationis succedenti sibi consignet.

X. Quoties de puellis agendum est ad suscipiendum habitum admittendis, videant Moniales, ne quid unquam aut favori tribuant, aut carni, & sanguini indulgeant, neque illud praecipue intendant, ut numerus augeatur Sororum (*ii*). Opportune enim, prudenterque cavendum est, ne quaecumque petentes promiscue, & indiscriminatim, sed cum magna spirituum discretione probatae dumtaxat indolis recipiantur. Maxima igitur in tanti momenti negocio maturitate procedant, certioresque factae libere, prudenterque initi a puella consilii, rem ad Nos deferant totam, ut ejus vel per Nos ipsos, vel per Vicarium Nostrum Generalem exploremus voluntatem, quo facto, si nihil obstabit, facultatem in scriptis dabimus cogendi pro deliberanda acceptatione Capituli. Haud tamen deveniri ad habitus susceptionem sinemus, quamquam per secreta suffragia fuerit capitulariter acceptata, quin prius per decem dies spiritualibus vacaverit exercitationibus, & statuta dos sive in Sacra pietatis aede (*kk*), sive Nostro accedente consensu, in tuto alio loco numerata pecunia fuerit deposita (*ll*), quod quidem praevio Vicarii Generalis decreto Cancellarius Noster in publicas rediget tabulas. Cooptata inter Novitias, Novitiarum Magistrae spiritu Religionis imbuenda tradetur, a cujus ore, nutuque pendens quanto ad virtutes dicandae Deo Virginis dignas profecerit, tanto certiora dabit vocationis suae argumenta. Tirocinii vergente anno, per integrum Nobis admonitis ante Professionem mensem, iterum voluntatis fiet exploratio, iterum Monialium Capitulum, iterumque spiritualium exercitationum solemnitas. Auto-

(*ii*) Conc. Mediolan. p. 3. tit. de puell. ad relig. admitten.
(*kk*) Clem. 13. Chirog. 13. Februar. 1759.
(*ll*) Monacell. tom. 1. tit. form. 1. n. 8.

graphum emissae Professionis testimonium ad Nostram deferetur Curiam, ipsa vero Professio in codice exscribetur, in quo distincte, separatimque Professiones, Vestitiones, Praepositarum electiones, ac tandem Moniales defunctae adnotari debebunt, quem in Monasteriis singulis codicem (*mm*) haberi volumus sacrae occasione Visitationis recognoscendum. Inutiles interim sumptus, vanosque mundanae pompae apparatus tam in Religiosi habitus susceptione, quam in Professione districte inhibemus (*nn*), quippe qui a Christi sponsis nuncium remittentibus mundo alieni omnino esse debent. Benedictino Ordini puellae dare nomen volentes, praeter monasticam dotem duodecim deponent in Monasterii aerario monetae Romanae scutata pro necessariis faciendae suo tempore Consecrationis expensis. Caeterum ubi ad habitus susceptionem capitulariter acceptatae intra duos ab acceptatione menses religiosam sibi induere distulerint vestem, nulla erit acceptatio, adeoque semper repetenda (*oo*).

XI. Est in more jam positum prudenti sane consilio, ut adolescentulae educationis, custodiaeque caussa in Monasteria admittantur. Hae tamen nec septimo minores anno, nec vigesimo quinto debent esse majores. Ut rite excipiantur, praeter S. Congregationis facultatem, & Nostram, Monialium intercedere consensus debebit per secreta suffragia praestandus, & sponsio jurejurando, medio instrumento, firmata pensitandorum sexto quoque mense alimentorum, quae summam aureorum Romanorum viginti in singulos annos exaequent. Adolescentularum cura ad duas unice spectabit Moniales, quibus id delatum erit offi-

(*mm*) Syn. Ferrarien. 1781. p. 4. c. 8. n. 62.

(*nn*) Bened. XIV. de Syn. Dioeces lib. 11. c. 7. n. 7.

(*oo*) Lucius Ferrar. in Bibliot. verb. *Moniales* art. 1. n. 72. Nic. verb. *Habitus* n. 22.

cium, nec alia unquam, sanguine licet ipsis conjuncta, se se illarum audebit educationi immiscere (*pp*). Ambas hasce Magistras observare, ambarum subesse jussis, nec earum unquam effugere adolescentulae debebunt obtutum. Ipsae autem communem cum suis alumnis dormiendi, elaborandique locum habebunt a Monialium loco distinctum, easque, quocumque pergant, aut una semper comitetur, aut altera, quod servari potissimum volumus, ubi ad collocutorii eundum est crates, nisi a parentibus, vel a suis in primo, aut secundo gradu consanguineis advocentur. Ad lectionem, scriptionemque illas instituere, & muliebribus inficere artibus naviter satagant, sed modestiam in primis, devotionem, pietatem, virtutesque omnes in teneros inducere animos summa diligentia studeant. Nullam in eodem lecto cum altera cubare, permittant, quod aeque sub Excommunicationis poena Monialibus quibuslibet inhibemus (*qq*), nullamque quocumque tempore, atque etiam saturnalibus feriis virilem induere habitum (*rr*). Arceant insuper a vanitatibus saeculi, floresque, cincinnos, aliaque levitatis argumenta prohibeant, nec unquam sericis vestibus, nec nisi modesto, & subobscuro colore uti concedant. Si qua vero aut nuptias cogitet, aut contrahere sponsalia decreverit, illico erit a Monasterio dimittenda (*ss*).

XII. Ordinarii Monialium Confessarii, quos semper Nostrum est eligere, ac deputare, prudentia, discretione, charitateque non ficta suum exercere stu-

(*pp*) Bened. XIV. Notif. 9. n. 2. Syn. Fulginat. 1722. c. 14. n. 15. Syn. Bajardi loc. cit. *de Puellis &c.*

(*qq*) S. C. Episcop. in Alatrin. 18. Decembr. 1601. S. C. C. 21. Maii 1678. Syn. Callien. 1708. tit. 5. c. 3. §. 18. Syn. Civit. Castelli 1766. act. 3. c. 7. n. 24.

(*rr*) S. C. Episcop. in Ferrarien. 17. April. 1604. Monacell. tom. 2. tit 15. form. 15. n. 4.

(*ss*) Bened. XIV. Notif. 33. n. 15.

deant officium. Omnes aeque excipiant, omnesque sine personarum acceptatione ad perfectionem provehere curent. Nunquam nisi lucescente jam die in Confessionali sede se sistant, auditoque sub vesperum Salutationis Angelicae signo confestim abeant. Superpelliceo semper, ac Stola induti, nec alibi quam in assignato ad id loco, confessiones audiant. Sermonem declinent quemcumque, qui in conscientiae rationem non cadat. Perquirant, quos habeant, legantque Moniales libros, Nostraque fulti auctoritate jubeant, ut sibi indicem quotannis tradant ex Nostra deliberaturi sententia, quos permittere debeant, quosque interdicere (*tt*). Moniales admoneant uni jus esse Praepositae ex Monasterii bonis erogare eleemosynam, caeteris vero singulis, neque ea, quae sibi in mensa supersunt, fas esse elargiri (*uu*). Doceant pariter tum Superiorissae, tum subditis commodatum dare, aut accipere vetitum esse, aeque ac exterorum deposita retinere (*xx*). Nulli Monialium facultatem concedant rei vel minimae, quae ad paupertatem spectat, Nobisque inconsultis nihil omnino innovare praesumant. Sacras in Monialium Ecclesiis obire functiones ad se spectare meminerint, neque Capellanos, nisi de eorum licentia, quaelibet sint, peragere libere posse. Illud denique cum Petro Blesensi (*yy*) a Monialium Confessariis reposcimus, ut in se ipsis sentiant, quod in Christo Jesu, & sicut Ille se exinanivit formam servi accipiens, sic earum ipsi se reputent non tantum patres, quam servos, humilita-

(*tt*) Syn. Fulginat. 1722. c. 14. n. 22. Syn. Feretran. 1734. tit. 33. c. 10. Syn. Anconit. 1779. p. 3. tit. 5. §. ult. Syn. Ferrarien 1781. p. 4. c. 8 n. 81.

(*uu*) C. *Non dicatis* 12. q. 1. S. C. Episcop. sub Greg. XIII. ap. Pignatell. consult. 85. n. 186.

(*xx*) Syn. Fulginat. loc. cit. n. 24. Gavant. verb. *Monial. Com.* n. 31.

(*yy*) Petr. Blesen. de instit. Episcop. c. 3.

temque, quae adeo Filio Dei cordi fuit, & verbo praedicent, & suo confirment exemplo. Meminisse quoque plurimum saepe juvabit, positos se in vinea Domini fuisse operarios, *ut fructum afferant in patientia* (zz).

XIII. Confessario ordinario extraordinarium sufficere juxta Tridentini praeceptum (*aaa*), ut hactenus egimus, nunquam etiam imposterum omittemus. Quae fuerunt de ordinario sancita, eadem ad extraordinarium aeque referenda esse decernimus. Hujus perdurante officio omnis ordinario sublata est facultas, ita ut ne ad Monasterium quidem possit accedere (*bbb*). Extraordinario se sistere tum Moniales omnes tenentur, tum si quae aliae sunt, quae vitam degant in Monasterio, ut ab eo saltem salutis monita, & benedictionem accipiant. Omnibus tandem, & singulis Monialium Confessariis in memoriam redigimus, *districte inhibitum esse sub poenis adversus accedentes ad Monasteria Monialium, & cum ipsis conversantes, praesertim Regulares statutis, ne, postquam suum officium impleverint, ad idem Monasterium ulterius accedere, aut ullius generis commercium intra ipsum continuare, & fovere, etiam sub spiritualis caussae, aut necessitatis obtentu, & colore audeant, aut praesumant* (*ccc*).

XIV. Jam vero habito de Confessariis sermone, aliquid etiam de Monasteriorum Ministris addendum est. Quantum his corde esse debeat, ut bona quaecumque ad Monasterium spectantia diligenter custodiantur, fideliterque administrentur, ipsa suadet officiorum suorum ratio, ac natura. Quicquid enim agi extra Monasterium oporteat, quicquid sive emptio-

---

(zz) Luc. 8. 15

(*aaa*) Conc. Trid. sess. 25. de Regular. c. 10.

(*bbb*) Bened. XIV. Const. *Pastoralis curae* 5. Aug. 1748. §. *Quoniam*.

(*ccc*) Idem Const. ead. §. *Ac demum*.


nes respicit, sive venditiones, quicquid de campestribus excolendis, meliorandis, curandisque fundis deliberandum est, ipsorum est muneris. Non eam tamen sibi unquam arrogent potestatem, ut quidquam statuant sine Monasterii Praefectae consensu, ubi de alicujus momenti re agatur, nec Nobis inconsultis, ubi de re agatur graviore. Dati, atque accepti rationes recognoscat frequenter Syndicus, calculisque exacte subductis in aptum codicem referat. Bona quaeque stabilia singillatim distincta, aeque ac census, locationes, deposita cum Instrumentorum indicatione, Notariorum nomine, dieque, mense, & anno curet alio in codice describenda. Tertio saltem quoque anno cuncta Monasterii invisat praedia, & quae melioratione, aut instauratione indigent, Superiorissae indicet, nec, si meliorationes, atque instaurationes decernantur, eis praesens quandoque adesse recuset. Monasterii sedulo studeat indemnitati, excutiendamque opportune meminerit illorum duritiem, qui pecuniam debent, ne ea destitutae Moniales suis providendo sint impares necessitatibus. Saepe denique de oeconomico, ut ajunt, Monasterii statu, deque caeterorum Ministrorum agendi ratione certiores Nos facere non praetermittat. Hos autem, quos vel Agentes vocant, vel Factores, serio monemus, ut inutilibus parcant impensis, ac minori semper, quo poterunt, pretio emere studeant, quae sibi nequeunt per se comparare Moniales. Fundos frequenter invisant, excolendisque potissimum agris intenti, haud dedignentur agricolarum scrutari opera, quos ut in officio contineant, caveant, ne ab illis munera accipiant. Praecipue autem caveant tum ipsi, tum etiam Syndici, ne in Monasterii damnum suos eis boves, oves, aliaque id generis animalia socio tradant sub amissionis dictorum animalium poena, & sub poena privationis officii caveant Factores, ne quae in Monasterii hortis, cellisvinariis, atque horreis fieri per ip-

sos possunt, alteri committant, quod sibi injunctum intelligant, cum etiam frumentum, aliasque segetes partituri accedere ad ruralia praedia debent. Suas tandem foeminas moneant, ne inanes cum Monialibus sermones serant, neve sub gravibus poenis audeant puellis in Monasterio degentibus inscia Magistra Litteras, aut Epistolia deferre. Universis interim Monasteriorum Ministris in memoriam redigimus, quacumque Nostra, vel Vicarii Nostri Generalis muniti sint ingrediendi in Clausuram facultate, sola necessitate suadente, ea uti posse, secus enim violatae Clausurae sese efficerent reos; quumque ipsorum electio a Nostra unice pendeat auctoritate, si suo desint officio, quaeque hic praescribimus, negligant, sciant, nihil obstare, quin eos a Monasteriis illico arcere possimus.

XV. Haec, quae circa Moniales hucusque praescripsimus, ut executioni mandentur, praecipuae erit curae Monasteriorum Praepositis, quarum vigilantiam, fidem, religionemque tanto in negocio obtestamur. Ne tamen frustra haec conflata sint decreta, neve Moniali cuique ignota sint, hunc Nostrae Synodi titulum in italicam linguam fideliter verti, ejusque exemplum Monasteriis omnibus quamprimum dari curabimus, quod ter saltem in anno tota audiente Communitate in mensa communi legendum erit. *De caetero Moniales Nostras omnes rogamus, & obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum acceperunt a Nobis, quomodo oporteat eas ambulare, & placere Deo, sic & ambulent, ut abundent magis. Haec est enim voluntas Dei, ipsarum omnium sanctificatio* (*ddd*).

SESSIONIS SECUNDAE FINIS.

(*ddd*) 1. Thessalon. 4. 13.



SESSIO TERTIA.

De Rebus, Locisq. Sacris, ac Piis.

TITULUS I.

De Sacramentis in genere.



I. Quemadmodum certum est ex Fide, septem esse novae Legis Sacramenta a Christo Domino instituta, *per quae omnis vera justitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur* (*a*), Baptismum scilicet, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, ac Matrimonium, ita est eadem ex fide certum, Divinae hosce in nos bonitatis, & misericordiae thesauros religiose omnino, sancteque esse tra-

(*a*) Conc. Trid. sess. 7. de Sacram. Can. 1.

ctandos. Sedulo igitur recogitent Sacerdotes, ac Parochi in primis, tanta ipsos debere ornatos esse cordis munditie, tamque habituali puritate conscientiae, ut ad Sacramenta ministranda quocumque vocati tempore digni semper, fidelesque inveniantur dispensatores Mysteriorum Dei. *Et si enim Sacramenta ab impuris coinquinari non possunt, neque a pravis Ministris eorum effectus impediri, impure tamen, & indigne ministrantes in aeternae mortis reatum incurrunt* (*b*).

II. *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona Ministri conficientis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia* (*c*). Aptior seligenda est, quoad fieri potest, materia (*d*); clare, distincte, ac devote proferenda est Forma; tutior, probabiliorque, ubi dubium aliquod oriatur, est amplectenda sententia (*e*). Nullibi unquam, nisi in Ecclesia, necessitate excepta infirmorum, Sacramenta fas erit administrare (*f*). Quaevis porro alia videatur urgere caussa, ut sive extra publicam Ecclesiam, sive nocturno tempore administratio fiat, nunquam id erit sine Nostra, aut Vicarii Nostri Generalis venia permissum (*g*).

III. Ritus in Sacramentorum administratione ab Ecclesia Romana Ecclesiarum omnium Matre, ac Magistra praescriptos adamussim omnino servandos esse meminerint tum Parochi, tum Sacerdotes, quicumque sint alii ad Sacra haec munia obeunda selecti, vestemque, excepto casu necessitatis, sub gravi arbitraria poena (*h*) semper adhibendam esse talarem.

(*b*) Rit. Rom. de Sacram. administr. § *Quamobrem*.
(*c*) Eugen. IV. in decret. unionis post Concil. Florentin.
(*d*) Innoc. III. lib. 4. c. 30. Myst. Miss.
(*e*) Prop. 1. ex damnat. ab Innoc. XI. 4. Maii 1679.
(*f*) Can. *Non oportet* 19. de Consecr. dist. 1. Bened. XIV. Notif. 34. n. 11.
(*g*) Syn. Civit. Castelli 1766. act. 2. c. 1. n. 2.
(*h*) Can. *Non oportet*. Can. *In Sancta*, & Can. *Vestimenta*

Caveant vero omnes, ne quicquam vel minimum pro quavis Sacramentorum administratione, nec directe, nec indirecte aut paciscantur, aut exigant, aut quomodolibet petant, id enim saperet Simoniam, nefariumque facinus esset tum condictis a jure poenis (*i*), tum Nostra auctoritate absque spe veniae puniendum. Ut igitur omnem avaritiae removeant a se suspicionem, qua saepe fit, ut apud populos gravem patiatur Ecclesiasticorum fama jacturam, quamvis vetitum non sit accipere, si quid Sacramenti administratione peracta sponte, atque Eleemosynae titulo offeratur, prudenter tamen, juxta Sanctissimum Christi Domini monitum (*k*), quod gratis acceperunt, gratis omnino dare non renuant.

IV. Ad Sacramenta suscipienda nemo admittatur, qui eam non praeseferat exteriorem modestiam, ex qua intima cordis religio, fides, ac pietas colligi facile possit. Viri itaque non nisi baculo, ense, armisque quibuscumque depositis accedant, foeminae non nisi vanis omnibus exutae pompis, & caput omnino velatae. *Ut autem fidelis populus ad suscipienda Sacramenta majori cum reverentia, atque animi devotione accedat, praecipit S. Synodus Episcopis omnibus, ut non solum cum haec per se ipsos erunt populo ministranda, prius illorum vim, & usum pro suscipientium captu explicent, sed etiam idem a singulis Parochis pie, prudenterque, etiam lingua vernacula, si opus fuerit, & commode fieri poterit, servari studeant* (*l*). Sanctissimo huic Tridentini Concilii praecepto, cujus retulimus consulto verba, Parochos omnes obtemperaturos sperantes, eos in Domino enixe hor-

de Consecr. dist. 1. Vid sess. 2. tit. 6. n. 8., & Epist. Pastoral. ad Paroch. 15 April 1783. §. *Infructuosa*.

(*i*) Can. *Baptizan.* Cum seqq. cap. *Nullus Episcopus* cum plur. seqq. Bened. XIV. Const. *Apostolica* 14. Febr. 1742.

(*k*) Matth. 10. 8.

(*l*) Conc. Trid. sess. 22. de Sacrif. Miss. c. 5.

tamur, ut in Rituali Romano, quae ad rem, administrationemque pertinent Sacramentorum, assidue legant, eam enim sibi comparabunt in tanti momenti negocio peritiam, qua suae, plebiumque sibi commissarum saluti felici exitu consulant.

TITULUS II.

De Sacramento Baptismi.

I. Primum omnium Sacramentorum, eorumque, ut SS. Patres loquuntur, porta est Baptismus. Tanta hujus necessitas est, ut lege a Christo Domino lata, *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei* (*a*). Quapropter, licet baptizandi potestatem soli sibi olim asseruerint Episcopi (*b*), nunc vero sibi vindicent merito Parochi, imminente tamen vitae periculo, quilibet sive vir, sive mulier Baptismum conferre licite potest, imo etiam Pater ipse, vel Mater, quin spiritualis inter eos oriatur cognatio, aut Matrimonii jura laedantur. Illud in hoc casu est advertendum, a digniore ex adstantibus hoc semper esse obeundum munus, ita ut Sacerdoti Clericus, Ecclesiastico Laicus, Foemina Viro det locum, nisi aliter modestia, aut baptizandi peritia suadeat (*c*). Ast necessitate seclusa soli Parochialium Ecclesiarum Rectores, in quibus Baptismalis Fons asservatur, legitimi sunt Baptismi Ministri, nec alius quispiam etiamsi Parochus, nisi ab ipsis fuerit, vel a Nobis facta potestas, hoc sibi poterit tribuere jus sine gravi culpa, cujus dabit illico poenam aureorum decem (*d*). Quod si forte Lai-

(*a*) Joan. 3. 5.

(*b*) S. Greg. M. Marten, aliiq. allegat. a Bened. XIV. Notif. 1. n. 4. S. Ignat. Mart. Epistola ad Smirnen. Tertull. l. de Bapt. c. 17.

(*c*) Rit. Rom. de Ministr. Baptism. §. *Sed si*.

(*d*) Syn. Urbinaten. 1753. sess. 2. tit. 2. §. 2.

cus sive suos, sive alienos infantes alio, quam ad Parochialem Ecclesiam, ubi consuetum est, deferat baptizandos, huic aureorum quinque multa irrogabitur (*e*).

II. Quum igitur cuique hominum baptizandi praebere se possit occasio, de rite conferendi Baptismi ratione frequentem ad populum sermonem habebunt Animarum Curatores, eumque docebunt, hujus Sacramenti materiam esse aquam naturalem, formamque *Ego Te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, cum intentione agendi, quod agit, agendumque constituit Ecclesia (*f*). Obstetrices autem, quas sub poenis arbitrio Nostro infligendis exercere nolumus artem, nisi suam prius ostenderint in Baptismi administratione peritiam, propriique Parochi in Nostra exhibuerint Cancellaria testimonium (*g*), semel saltem in anno erunt a Parochis examinandae (*h*), atque ab officio, si bene doctae non fuerint, omnino arcendae (*i*).

III. Infantes domi, necessitate cogente, Sacro regenerati Lavacro, si convaluerint, intra dies octo ad Ecclesiam deferantur, ut praescripti suppleantur ritus. Caeterum nunquam sine Nostra, aut Vicarii Nostri Generalis licentia, aureorum decem interposita poena (*k*), ultra triduum differatur Baptismus, qui quidem eadem omnino sub poena publice semper, cunctisque adhibitis Ecclesiae coeremoniis conferendus erit, nec unquam, nisi Nostra in scriptis accesserit venia, aut antelucano tempore, aut post Solis occasum (*l*).

(*e*) Syn. Bajardi p. 2. c. 2. §. *Legitimi*.

(*f*) Conc. Florent. sub Eugen. IV. in Decret. pro Armen. Cathec. Rom. p. 2. de Sacram. Bapt. n. 25.

(*g*) Act. Mediol. Conc. Prov. V. p. 1. quae ad Bapt. pert.

(*h*) Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 7. c. 6. n. 4. Idem Notif. 8. n. 6.

(*i*) Syn. Bajardi loc. cit. §. *Illae autem*, aliaeque plures.

(*k*) Syn. Bajardi loc. cit. §. *Id tamen*. Syn. Feretran. 1734. tit. 9. c. 4. Syn. Anconit. 1779. p. 2. tit. 2. de Bapt. Parvul.

(*l*) Conc. Mediol. V. loc. cit. §. *Ne autem*. Syn. Urbi-

IV. Ubi aliquod de collato privatim Baptismo, seu de ejus validitate oriatur dubium, caute admodum se gerant Parochi, sciantque sine culpa eaque gravissima, cui canonicum impedimentum, quod Irregularitatem vocant, adnexum est, neque sub conditione iterari Sacramentum hoc posse, nisi prudens, gravisque ratio sit dubitandi. Expositi tamen, projectique infantes, licet Schedulam habeant, quae baptizatos eos esse testetur, ne salutis aeternae exponantur periculo praestita ignotae personae fide, addita semper conditione, *si non es baptizatus*, erunt baptizandi (*m*). Porro si nomen sit dictae Schedulae inscriptum, illud omnino imponetur. Hic vero monitos volumus Parochos, ne profana unquam, aut fabulosa Ethnicorum nomina fidelium pueris imponant, aut imponi sinant (*n*), sed Angelorum, Sanctorumque virorum, quos Patronos habeant, atque adulti colant, & imitentur.

V. Inter caeteras solemnitates, quas vel ex Apostolica traditione, vel ex antiquissimo Ecclesiae instituto deductas in Baptismi administratione Rituale Romanum servandas esse praescribit, Patrinos, seu Susceptores adesse jubet, qui Infantes ex sacro Fonte in suam fidem, tutelamque suscipiant. Sed unus tantum, vel una, aut duo ad summum, vir nempe, & mulier debent ad hoc munus admitti (*o*). Infideles, haereticos, excommunicatos, interdictos, publice criminosos, infames, eosque omnes, qui vel sana mente non sunt, vel Fidei rudimenta ignorant, ab officio Patrini Canones Sacri repellunt (*p*), aeque ac Monachos, Sanctimoniales, &

---

nat. 1753. Sect. 2. tit. 2 §. 3. Syn. Civit. Castelli 1766. act. 2. c. 2. n. 6.

(*m*) Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 7. c. 6. n. 5.

(*n*) Cap. *Ex litteris* de Apost. & iterat. Bapt. Bened. XIV. loc. cit. n 2.

(*o*) Conc. Trid. Sess. 24. de Ref. Matrim. c. 2.

(*p*) Can. *Non licet*. Can. *Monachi*. Can. *In Baptismate* cum seqq. de Consecr. dist. 4.

cujusvis Ordinis Regulares, quibus Nos impuberes addimus, non confirmatos, Communione non refectos Paschali, & Sacerdotes, Clericosque in Sacris praesertim Ordinibus constitutos (*q*). Sacramenti administratione peracta Patrinos, Matrinasque Parochi moneant de cognatione inter ipsos, & Baptizatum, ejusque Parentes contracta, qua Matrimonium impeditur contrahendum, contractumque dirimitur; deque obligatione susceptum puerum christianis suo tempore imbuendi moribus, Sanctisque Fidei rudimentis, si id Parentes vel negligant, vel morte prohibeantur implere. Puerperas tandem hortentur, ut ubi a partu convaluerint, Virginis Deiparae exemplo Templum adeant Deo pro data prole debitas acturae gratias, benedictionemque a proprio Parocho recepturae (*r*).

VI. Baptismali Fonte quae decorantur Ecclesiae, eum prope portam positum habeant, atque ingredientis ad laevam. Salutaris aqua rotundo conservetur in vase, quod ex integro marmore constet, aut duro lapide, vel etiam cupro, si placet, fuso tamen stamno linito. Ligneo obducatur operculo sera, clavique munito, in cujus pyramidali fastigio stet Crux. Albo vestiatur interius panno, exterius violaceo. Ad Chrysmatis, & Catechumenorum custodienda olea aptus sit loculus vasculis, quae vel argentea sint, vel saltem stamnea perpolita semper, inscriptumque habeant Sacrum cujusque olei nomen, ut omne absit errandi periculum. Sal benedictum minutatim contusum, sed non liquefactum sit, vel aquosum. Cochlear, quo sacra extrahitur aqua, inque infantis caput infunditur, sive ex argento conflatum, sive ex metallo nitidum, expurgatumque appareat. Linteamina tandem, sudariola, caeteraque omnia ad Baptis-

---

(*q*) Act. Mediol. in Instruct. Baptismi. Syn. plurimae.

(*r*) S. Rit. Congr. in Decret. Urbis, & Orbis 12. Jan. 1704. ad dub. 6. S. C. C. in Celsonen. 20. Jan. 1759. Bened. XIV. Notif. 6. n. 10.

mi ministerium necessaria, eam praeseferant munditiem, quae tanti Sacramenti dignitati respondeat. Supra Baptisterium Jesu Christi conspiciatur imago a Joanne Baptismo donati: e latere Sacrarium, ubi ex infantis capite profluens excipiatur unda: circum vero cancellus, quo liber ad Fontem aditus impediatur (*s*).

VII. Aqua ne corrumpatur, excutiatur interdum: bis tamen in anno, scilicet Sabato Sancto, & in pervigilio Pentecostes in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis solemni interposita benedictione renovetur. Semel saltem, nempe Sabato Sancto in Ecclesiis Matricibus. Omnes ad hanc benedictionem convenire volumus Parochos, Sacerdotesque, qui vel de jure tenentur, vel ex consuetudine. Veteribus item combustis sacra quoque Olea renovanda quotannis erunt, quae suis in vasculis posita, hisque in lignea capsula inclusis a Cathedrali, sive a Matrice asportari reverenter debebunt per Sacerdotem, vel saltem per Clericum (*t*), nunquam vero per Laicum, quem si quis ad hunc finem Parochus mittere audebit, librarum cerae albae quinque luet poenam. Curent interim Animarum Rectores, strictissimam secus reddituri Nobis rationem, ut Baptisterium, sacraque praedicta Olea continenter secura custodiantur clavi, ut a pulvere, sordibus, impiaque sacrilegi hominis manu defendantur.

VIII. Duo hic tandem pro Tituli hujus coronide in Parochorum memoriam sunt redigenda; alterum monendos esse, sacris coeremoniis expletis, parentes, nutrices, caeterosque quoscumque, quibus curae erunt infantes, ne eos anno minores proprio in lecto detineant, nisi aptum interponant repagulum sive ligneum sit, sive laneum, aut lineum, quo suffocationis amo-

(*s*) Act. Mediolan. p. 4. c. 19. de Baptist. Rit. Rom. de loco administr. Baptismi.

(*t*) Rit. Rom. de Sacris Oleis §. *Parochus*.

veatur periculum, secus enim agentes in culpam incident Nobis reservatam: alterum vero in libro ad hunc effectum parato nulla interposita mora collatum describendum esse Baptismum, additis, praeter nomen Baptizati, ejusque nativitatis diem, atque horam, Parentum etiam, & Patrinorum nominibus, ac cognominibus. Quae quidem descriptio, servata adamussim Ritualis Romani forma, claro, & intellectu facili caractere, nullisque adhibitis arithmeticis numeris erit facienda, Reipublicae siquidem interest universae, ut hujusmodi scripta perpetuis etiam futuris temporibus legi commode possint.

TITULUS III.

De Sacramento Confirmationis.

I. Salutis regenerati Lavacro, atque a peccatorum abluti sordibus, Sancti Spiritus gratiam per Confirmationis Sacramentum accipimus, qua contra hostium tela, insidiasque munimur. Baptismo igitur regeneramur ad vitam, Confirmatione armamur ad pugnam (*a*). Quapropter *licet hoc Sacramentum ejusmodi necessitatem non habeat, ut sine eo salvus quis esse non possit, a nemine tamen praetermitti debet* (*b*), certumque profecto est, fideles *gravis peccati reatu teneri, si cum possint ad Confirmationem accedere, illam renuunt, ac negligunt* (*c*).

II. Haec secum animo reputantes Parochi, populum frequenter doceant maximi faciendum esse venerandum hoc Sacramentum, vi cujus Christiani hominis complementum, ac perfectionem acquirimus, ejusque naturam, originem, dignitatem, Ministrum,

(*a*) Cap. *Spiritus Sanctus* de Consecr. dist. 5.
(*b*) Cathec. Rom. de Sacram. Confirm. n. 16.
(*c*) Bened. XIV. Const. *Et si Pastoralis* 26. Maii 1742. §. 3. n. 4.

ritus, fructusque (*d*) distincte, clareque explicent, & in hoc praecipue morentur proposito proxime administrandae Confirmationis certiores de more facti. Hortentur autem, imo etiam compellant parentes, caeterosque majores, ut suos omnino ad confirmandos adducant pueros, antequam duodecimum attingant aetatis annum, septennio tamen minores, si sani sint, haud esse admittendos declarent (*e*). Caeterum & hos, si in vitae versentur periculo, Chrysmate aequum est roborari (*f*), quod sicut hactenus fecimus, ita semper, Deo dante, faciemus, dummodo a Parochis, aut a Parentibus, quibus id curae esse debet, & quorum oneramus conscientiam, admoniti opportune simus.

III. Publicae Sacramenti hujus administrationis indicta die, eam Animarum Rectores inter Missarum solemnia sibi creditae plebi indicabunt. Mox vero cunctos inquirent Parochiae suae parvulos ad Confirmationem idoneos, eosque ad se quotidie accitos ita apte, accurateque erudire studebunt, ut quid suscepturi sint, probe intelligant, pioque desiderio, sanctisque affectibus dignam praeparent in cordibus suis Spiritui Sancto mansionem. Curabunt propterea, ut Poenitentiae Sacramento suas expient culpas grandiusculi, ut reliqui intimis Fidei, Spei, Charitatisque actibus assidue se muniant, utrique autem, ut, si Confirmatio matutinis horis administretur, sint juxta antiquum Ecclesiae morem jejuni (*g*). Omnibus tandem, sic tamen, ut diximus, instructis, dispositisque, schedulam tradent propria manu conscriptam, Nobisque exhibendam, in qua pueri cujusque nomen, cognomen,

---

(*d*) Cathec. Rom. loc. cit. n. 20., & seqq.

(*e*) Conc. Rom. tit. 26. c. 4. Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 7. c. 10. n. 5 Act. Mediol. Conc. Prov. 1. p. 2. Quae pertinent ad Sacram. Confirm. Administr.

(*f*) Bened. XIV. de Syn. loc. cit. n. 6. Idem Notif. 6. n. 12.

(*g*) Cap. *Jejuni* 6. de Consecr. dist. 5. Conc. Rom. cit. tit. 26. c. 4.

aetas, Parochia, Parentes, Patrinus, atque in Fidei rudimentis peritia exacte descripta erunt (h); neminem enim Sacro liniemus Chrysmate illa carentem.

IV. Ubi dies aderit pro ministranda Confirmatione statuta, candidati ad Ecclesiam prompti conveniant, ut manuum intersint impositioni, & primae Spiritus Sancti invocationi, quae in ipso fere sacrae hujus coeremoniae vestibulo a Pontifice fiunt. Mares a Foeminis sejungantur, illique ad dexteram, hae ad sinistram consistant (i). Vultu composito, flexis genibus, & manibus junctis, silentes omnes, & in spiritu humilitatis venientem Deum praestolentur (k). Nemo ex aliena Dioecesi sine sui Episcopi venia ad Nos confirmandus accedat, nec sine Nostra Dioecesanus aliquis petat ab alio Episcopo Confirmationem. Nullus incomptus appareat, aut sordidus; at nullus aeque nimis eleganter ornatus. Calamistratae, vel profano cultu nitentes sive Puellae, sive Matrinae repellentur omnino (l). Absint a fronte confirmandorum prius bene lota capilli, ne sacro Oleo inungantur, & proximus stet susceptor ipsorum cuique suus, qui Cancellario Nostro, sive alteri ad hoc deputato praedictam schedulam porrigat, & dextram imponat manum super ejus humerum dexterum, dum Sacramentum perficitur (m). Confirmatione absoluta, ne sacrum defluat Chrysma, per aliquem ex adstantibus Parochis, quos adesse semper praesentes volumus, gossypio Confirmati frons abstergatur. Nemo autem ab Ecclesia abeat, quin sacrae prius expletae sint preces, & solemnem Pontifex sit impertitus benedictionem (n).

(h) Act. Mediol. p 4. Instruct. pro Sacram Confirm. n. 18.

(i) Act. cit. Conc. Prov. V. Quae ad Sacram. Confirm. pert. §. *Primo mares*.

(k) Act. cit. p. 1. Conc. Prov. 4. p. 2. Quae pert. ad Confirm.

(l) Act. cit. Instruct. pro Sacram. Confirm. n. 13. 14. 15. 20.

(m) Bened. XIV. d. Notif. 6. n. 16

(n) Pontif. Rom. de Confirm. §. *Nullus*.

V. Unicus in Confirmatione admitti debet susceptor, isque diversus a susceptore Baptismi (*o*). Neque mas foeminam, nec foemina marem, nec Parentes filii, nec senior juniorem, neque confirmandi non confirmatos susceptores habebunt (*p*). Unum, aut alterum tantum, nec plures unquam sine Nostra licentia quisque suscipiat (*q*). Ab hoc autem munere omnes rejiciendos esse decernimus, quos jam in Baptismo rejecimus. De spirituali cognatione susceptores inter atque susceptos, eorumque Parentes contracta (*r*), deque Patrinorum, ac Matrinarum obligatione, quos pro susceptis a se parvulis sponsores apud Deum factos esse docendum est, nec Nos opportunum habere pigebit sermonem, nec Parochos Pastoralis Nostrae consortes sollicitudinis. Hos interim monemus, ut populo frequenter exponant, quantas effuderit misericordiae divitias clementissimus Deus, cum nos per Baptismum e tenebris in admirabile suae Fidei lumen vocavit, & supervenientis Spiritus Sancti virtute munivit per Confirmationem, unde fideles tantorum memoria beneficiorum commoti, & assiduas referant Datori munificentissimo gratias, & annua recurrente Baptismi, ac Confirmationis die piis grati animi sensibus, sanctisque christianae pietatis operibus aeternam ei fidem, religionemque testentur. Confirmatorum denique elencho fideliter ex Schedulis in librum, ubi hic retinendus erit (*s*), transcripto, Schedulae ipsae Cancellario Nostro tradentur, in publicum codicem, sub privationis officii poena, illico referendae.

(*o*) Cap. *In Cathec.* 100. de Consecr. dist. 4. Cap. *Non plures* 101. loc. cit.

(*p*) Act. Mediol. cit. Instruct. pro Sacram. Confirm. de Patrinis.

(*q*) Syn. plurimae passim.

(*r*) Conc. Trid. sess. 24. c. 2. de Ref. Matrim.

(*s*) Vid. sess. 2. tit. 6. n. 6.

TITULUS IV.

De Sanctissimo Eucharistiae Sacramento.

I. Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum ineffabile illud Divinae in nos charitatis inventum, in quo non gratia solum, sed ipse datur fidelibus gratiae omnis fons, & origo, tanta venerari decet animi devotione, tantoque pietatis etiam exteriori apparatu, quanta caeteris simul omnibus debentur Sacramentis, quae fere cuncta in Eucharistia consumantur (*a*). Hinc nullam adhibendam non esse curam, diligentiam, sollicitudinem sentient profecto pignoris tam pretiosi custodes, & Parochialium praesertim Ecclesiarum Rectores, quos Eucharisticum panem in suis semper Ecclesiis asservare debere jam diximus (*b*), tum ut majori, quo fieri potest, retineatur, ac ministretur decore, tum ut ab omni vel minimo irreverentiae periculo tueatur.

II. In Ara Ecclesiae cujusque maxima, praeterquam in Cathedralibus, & Collegiatis (*c*), stet Tabernaculum, quod & auro linitum, & affabre ornatum esse deceret; a primis enim Ecclesiae saeculis id maxime fuit in religione fidelibus, ut & materiae pretio, & operis elegantia ad Eucharistiam custodiendam niterent loculi (*d*). Albo intus vestiatur velo, & conopoeo circumtegatur extrinsecus coloris illius, quem dierum varietas expostulabit. In Pyxide argentea intus inaurata, ac decenti operculo clausa, quam serica tela circumdet albi coloris, sacrae serventur particulae ad minus quinque, (*e*) octavo quolibet die

(*a*) S. Thom. 3. p q. 65. art. 3.
(*b*) Vid. Sess. 2. tit. 6. n. 14.
(*c*) S. C. Episc. 10. Febr. 1679., & alias pluries.
(*d*) Prud. hymn. 2. in honor. S. Laurent. S. Amphiloc. in vit. S. Basil. S Gregor. Turon. de glor. Martyr. l. 1. c. 86.
(*e*) Act.Mediol.Conc.Prov.4.p.2.quae ad Euch.§.*Quinque saltem*.

aestivo tempore, hyemali vero ante quindenos dies renovandae (*f*). Lineum supponatur Pyxidi Corporale alternis mensibus commutandum, nec aliud ibi quicquam ultra condatur. Insit Tabernaculo ostiolum sera, clavique munitum, quod firmiter occlusum maneat. Clavis aut argentea sit, aut inaurata, duplexque, ut altera fortasse deperdita in promptu sit altera, nec Laici profana manus ad aperiendum ostiolum sit adhibenda (*g*). A Rectoribus tantum, sive ab Ecclesiae Sacristis, nulla in contrarium consuetudine obstante, quam abusum declaramus periculis plenum (*h*), Tabernaculi clavis custodiatur, ita tamen ut neque sua secum in pera deferant, neque in Sacrario expositam, aut muro relinquant pensilem, sed apto in loco clavi altera munito retineant, gravissimas minimae etiam quoad hoc negligentiae daturi poenas, quas usque ad carcerem, privationem officii, ac suspensionem augebimus (*i*), si sacrilegum aliquod facinus, quod Deus avertat, ipsorum culpa acciderit attentari.

III. Praeter Parochiales Ecclesias, quae praeclarissimo potiuntur hoc jure, caeteris omnibus sine Apostolico indulto sacram quotidie asservare Eucharistiam absolute interdicitur (*k*). Eae autem & majorem, quam diximus, Pyxidem, & minorem alteram habeant argenteam pariter, atque intus deauratam pro Communione infirmorum (*l*), quin etiam decentem Urnam pro Sanctissima Eucharistia in Feria quin-

(*f*) Rit. Rom. de Euchar. §. *Sanctissimae*. Bened. XIV. Const. *Et si Pastoralis*. 26. Maii 1742. §. 6. n. 4.

(*g*) Syn. Bajardi p. 2. c. 4. §. *Consentaneum*.

(*h*) Act. Mediol. p. 4. Instruct. Eucharist. §. *Omnem etiam*.

(*i*) Encycl. S. C. Episc. edit. jussu Innoc. XIII. 8. Jan. 1742. & alia edit. jussu Bened. XIV. 9. Febr. 1751.

(*k*) S. C. Episc. pluries, & praesertim 10. Decembr. 1703 ad num. 26.

(*l*) Rit. Rom. de Euchar. §. *Curare*.

ta hebdomadae majoris servanda (*m*), & Ostensorium pro solemni populo impertienda benedictione, quod nisi totum argento constet, obductum tamen auro, aut argento esse debet, lunulamque habere integre argenteam intus, forisque inauratam (*n*). Curent tandem Parochi, Æditui, iique omnes, ad quos spectat, sub poenis arbitrio Nostro luendis, ut una saltem e regione Tabernaculi ante augustissimum Sacramentum perpetuo colluceat lampas (*o*), cui non lini, vel nucum oleum, sed olivarum alimentum praebeat, *utque omnia ad ipsius Sacramenti cultum ordinata, integra, mundaque sint, ac conserventur* (*p*).

IV. *Quum nihil habeat Ecclesia hoc Sacramento dignius, nihil admirabilius, nihil salubrius, nihil sanctius* (*q*), tam avide, anxieque christianus populus ad Eucharisticam accedere deberet mensam, ut Sacrosanctae Tridentinae Synodi vota (*r*), quibus, ut fideles in Missa quotidie communicarent, optabat, cumulatissime adimplerentur. Adeo tamen miseris hisce temporibus refriguit charitas, ut necesse profecto sit, Parochos creditam sibi plebem frequenter monere, ne diu quisquam coelesti hoc pane privetur, & recurrentibus saltem majoribus anni Solemnitatibus, quotquot sunt omnes, eo se reficere non praetermittant. Quod ut assequantur, fidem, doctrinam, excellentiamque praestantissimi hujus Sacramenti accurate studeant exponere, quo item modo ad illud sumendum fideles accedere debeant, quamque admirabiles ex eo laturi sint fructus, si nuptiali virtutum induti veste, ac potissimum charitate fragrantes ad Divinam

(*m*) Syn. Civit. Castell. 1766. act. 2. c. 4. n. 7.

(*n*) Act. Mediol. Conc. Prov. 4. p. 2. Quae ad Eucharist. pertin § *Ipsa autem*.

(*o*) Rit. Rom. loc. cit. §. *Hoc autem*.

(*p*) Rit. Rom. loc. cit.

(*q*) Act. Mediol. p. 4. Instruct. Euchar. in princip.

(*r*) Trid. sess. 22. c. 6.

mensam accumbant. Hortentur praeterea, ut cum Sacramenti participes esse cupientes, tum Sacrificii, in Missa communicent, quoad tamen commode fieri id poterit, nec ulla inde oriatur aut turbatio, aut confusio (*s*), quod maxime cunctis volumus cordi esse Pastoribus. Ipsi autem meminerint, communionem populi post Sacerdotis communionem in Missa fieri debere, non vero unquam ante eam, & raro post (*t*), nisi rationabilis aderit caussa: in Missis item Defunctorum, si Pyxis extrahenda sit a custodia (*u*), in Natalitia Domini nocte (*x*), Feria VI. in Parasceve, Sabato Sancto (*y*), & in Oratoriis privatis non facta a Nobis potestate quocumque tempore (*z*) Eucharistiae prohiberi administrationem, quae quidem, si non ex Pyxide fiat, sed ex Patena, id semper est advertendum, ut sacrae distribuendae Particulae senarium communiter numerum non excedant (*aa*).

V. Excommunicati, interdicti, iique omnes, publica quorum peccata non solum Dei praesentiam offendunt, sed animos etiam fidelium, ab Eucharistico sunt prohibendi convivio. Addere his oportet amentes, & pueros, qui propter aetatis imbecillitatem nondum tanti hujus Sacramenti cognitionem, & gustum habere possunt. Caveant vero Parochi, ne grandiusculis, aut nimium Sacram Communionem properent, aut nimium retardent, in utroque enim aeque peccantes parem mererentur a Nobis animadversionem. Quos igitur noverint rationis usum, rerumque spiritualium intelligentiam assecutos, quod intra deci-

(*s*) Bened XIV. Const. *Certiores effecti* 13. Novembr. 1742.
(*t*) Rit. Rom. loc. cit. §. *Communio*.
(*u*) S. Rit. Cong. in Aquen. 2. Septembr. 1741.
(*x*) S. Rit. Cong. in Pisauren. 20. April. 1641.
(*y*) Bened. XIV. cit. Const. *Certiores effecti*.
(*z*) Bened. XIV. Const. *Magno cum animi* 2. Jun. 1751.
(*aa*) Act. Mediol. p. 4. Instruct. Euchar. de Ministro &c §. *Pyxidem*.

mum, & decimum quartum aetatis annum solet evenire (*bb*), postquam tum de dignitate, & effectibus Divini hujus Sacramenti, tum de animae, corporisque dispositionibus ad illud recipiendum praerequisitis eos erudiverint, atque in supereminentem, ac plane infinitam Dei charitatem totam intendere mentis aciem docuerint, ad Eucharisticam mensam Paschali praesertim tempore admittent; quod sane plurimum laudabile esset, si aliquo fieret solemnitatis apparatu, piisque additis cantibus, precibusque ad rem accommodatis, inde enim & major in pueris excitaretur devotionis affectus, & dignum christiana pietate spectaculum adstanti populo praeberetur (*cc*). Quoniam vero quadragesimalibus ubique diebus ad Sacram Communionem instituendos esse decrevimus pueros (*dd*), illos parentes non negligant ad suos opportune deducere Parochos, a quibus quemadmodum Sacramenti doctrinam, ita & Sacramentum ipsum aequum est, ut primum accipiant (*ee*).

VI. Ad Paschale quod attinet tempus, cujus fecimus nuper mentionem, quodque a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis inclusive extenditur (*ff*), nemo est qui ignoret, omnibus ab Ecclesia praecipi Christifidelibus, ut Eucharisticam tunc Communionem accipiant (*gg*). Quare Animarum Rectores sedulo invigilent, ne quis hoc praeceptum detrectet, quod illis facile innotescet, si Paschalibus elapsis diebus Schedulas de Communione testantes Quadragesimae tem-

(*bb*) Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 7. c. 12. n. 2.

(*cc*) Syn. Ferrarien. 1781. p. 3. c. 2. n. 10.

(*dd*) Vid. Sess. 1. c. 2. n. 5.

(*ee*) Act. Mediol. Syn. Dioec. 9. Monit. quae ad Sacram. Euch. pert. Syn. Fulginat. 1722. c. 19. n. 11. Syn. Civit. Castelli li 1766. Act. 2. c. 4. n. 9.

(*ff*) Eugen. IV. Const. *Fide digna*.

(*gg*) Can. *Omnis utriusque* 12 de Poenit., & Remiss. Conc. Trid. Sess. 13. Can. 9., & Sess. 14. cap. 5., & Can. 8.

pore per domos singulas cuique ad communicandum idoneo distributas, & in actu communionis collectas diligenter enumerent, & cum animarum conferant statu. Quod si inde deprehenderint, aliquem perditae conscientiae hominem Ecclesiae non paruisse legi, illum adeant, debitamque tum precibus, tum rationibus, tum etiam minis conentur suadere obedientiam, quam si adhuc praestare renuerit, primo festivo die publice in Ecclesia, suppresso tamen rei nomine, Ecclesiasticas evulgabunt contra hujusmodi contumaces indictas poenas (*hh*), ac nedum resipiscentem ad Nos tandem deferent, gravissime juxta Sacros Canones, & pro modo quoque suae contumaciae arbitrio Nostro puniendum. Advertant tamen Pastores ab ea eximi lege illos, qui de sui Confessarii consilio ad longius aliquod tempus Paschalem Synaxim distulerint (*ii*), populumque admoneant identidem, haud fieri praecepto satis neque per sacrilegam Christi Corporis manducationem (*kk*), neque per Communionem ab alio, quam a proprio Parocho acceptam (*ll*).

VII. Peregrini, advenae, vagi, ubilibet Eucharistiam Paschali tempore sumant, praeceptum implent. Caveant tamen Parochi, ne eos ad Communionem admittant, nisi testimonialibus munitos litteris, quae & esse Catholicos probent, & nulla censura irretitos (*mm*). Qui majorem anni partem aliqua in Parochia transegerint, licite ibi poterunt Paschali Sacramento communicare: qui vero ad propriam Parochiam, a qua jam aberant, Paschalibus elapsis diebus reversi fuerint, nisi certum dederint de praecepti satisfactione testimonium, intra dies octo a Paro-

(hh) Syn. Bajard. p. 2. c. 4. §. *Hortamur*

(*ii*) Cit. Can. *Omnis utriusque*

(*kk*) Prop. 55. ex proscript. ab Innoc. XI.

(*ll*) Cit. Can. *Omnis &c.*

(*mm*) Syn. Bajardi p. 2. c. 4. § *Si vagi* Syn. Fulginat. 1722. c. 19. n. 9.

cho suo teneantur accipere Eucharistiam (*nn*). Sacerdotes omnes, & Clerici Civitatis, praeeuntibus Cathedralis Ecclesiae Nostrae Dignitatibus, & Canonicis, ac nemine prorsus excepto, Feria quinta in Coena Domini, quod antiquissimo Ecclesiae custoditum est ritu, sacratissimum Christi Corpus e manu Nostra, seu alterius ea die celebrantis recipient (*oo*). Qui in Oppidis degunt Clerici, & Sacerdotes, in Collegiatis Ecclesiis solemni in Missa communicabunt; Clerici superpelliceo semper induti, Sacerdotes vero & Stolam insuper habentes a collo pendentem, nisi sacris forte aliis induti sint paramentis. Meminerint interim universi, quos in sortem Domini vocatos ferventius caeteris fidelibus adhaerere Deo bonum est, de frequenti Christi Corporis Communione indictas jam ipsis leges (*pp*). Diaconi autem, & Subdiaconi Tridentini Concilii monitis obtemperantes (*qq*), quoties Altari ministraverint, communicare non praetermittant.

VIII. *Ægrotis quoque Parochianis, etiamsi Communionem extra praescriptos Paschales dies sumpserint, in Paschalibus diebus illam* (Rector) *deferet, ac ministrabit* (*rr*). Huic Ritualis Romani, quod suis retulimus verbis, inhaerentes monito Pastorum omnium, quantum in Domino possumus sollicitudinem, ac vigilantiam enixe obtestamur, ut Angelorum pane saepe reficere curent lecto quoscumque detentos, eosque potissimum Sacro hoc Viatico muniant, quos brevi morituros esse cognoverint, nec pueris etiam, puellisque proximis morti solatium hoc maximum denegent, si ea polleant ingenii perspicacia, qua sub

(*nn*) Syn Bajardi loc. cit. Syn. Civ Castelli act. 2. c. 4. n. 11.
(*oo*) Coerem. Episc. l. 2. c. 23. Syn. Bajardi loc. cit. aliaeque plurimae.
(*pp*) Vid. sess. 2. tit. 2. n. 3.
(*qq*) Conc. Trid. sess. 23. de Ref. c. 13.
(*rr*) Rit. Rom. de Com. Pasch. § *Aegrotis*.

sacramentalibus speciebus latentem Dominum credere valeant, pieque adorare (*ss*); sciantque non semel tantum, sed iterum etiam, ac tertio eodem durante mortis periculo non jejunis praesertim petentibus posse Eucharistiam ministrari (*tt*), quod juvat hic indicare, ne futiles fingendo caussas, aliter quisque unquam agere audeat. Nemini tamen ex iis, quos supra diximus a Sacra Mensa esse arcendos, neque in ipso mortis articulo Corporis Christi Viaticum est concedendum, nisi sincere prius poenitentes publicae offensioni, ut aequitas postulat, satisfecerint (*uu*). Quoad refractarios Constitutioni S. M. Clementis PP. XI., quae incipit *Unigenitus*, *quamque uti Fidei regulam agnoscimus*, *& ab omnibus cujuscumque conditionis*, *& gradus omnimoda obedientia*, *& exequutione observari volumus* (*xx*), praescriptas a Benedicto XIV. regulas (*yy*) & Nos praescribimus, Parochis insuper universis mandantes, ut si quos in sua Parochia compererint ab ea appellasse, vel male de ea loqui, aut sentire, ad Nos confestim deferant, Canonicis poenis pro modo culpae puniendos.

IX. Quoties ad infirmos Sanctissimum deferendum erit Eucharistiae Sacramentum, maximi aeris campani sonitu praemoneantur fideles, ut ad Regem regum comitandum conveniant. Id vero solemne sit semper Animarum Rectoribus, ut populorum excitent, augeantque hac in occasione frequentiam, tum saepe exposita debiti hujus obsequii praestantia, tum Indulgentiarum a Summis Pontificibus concessarum propositis proemiis. Praecedente campanula identidem

---

(*ss*) Bened. XIV de Syn. Dioec. l. 7. c 12 n. 3.

(*tt*) Bened. XIV. loc. cit. n. 4. Syn. Bajardi p. 2. c. 4. de S. V at. §. *Perseverante*.

(*uu*) Cap. *Poenitentes* dist. 50.

(*xx*) Conc. Rom. t. 1. c. 2.

(*yy*) Bened. XIV. Const. *Ex omnibus* 16. Octobr. 1756. Vid. Synopsim. in Append. N. XIII.

personante accensae faces sequantur, duoque ex qualibet Societate Sodales suis induti saccis, & intorstitia gestantes. Ad avertendam ventorum injuriam, a Sodalibus Societatis SS. Sacramenti in hastatis lanternis deferantur prope Baldachinum luminaria, & tandem Parochus subsequatur albi coloris Pluviali indutus, Veloque humeris super imposito, quo Sacra tegatur Pyxis, quam ipse sive diu, sive noctu detecto semper capite (zz) venerabundus deferet sub Baldachino jam dicto, rotundam enim umbellam, nisi in repentinae necessitatis casu, in Civitatibus, atque Oppidis adhiberi omnino prohibemus (*aaa*). Ubi vero ad infirmi mansionem pervenerit, Pyxidem in parato Altariolo Corporali instrato, ardentibusque circum luminibus deponat, caeteraque absolvat, quae a Rituali Romano praescripta sunt. Interim qui Sanctissimam Eucharistiam sunt assectati ad fores cunctando, Litanias B. V., aliasque recitabunt pro infirmo preces, donec ad Ecclesiam sit redeundum. Cum ab Ecclesia processio fit ad infirmos, Psalmus *Miserere* canatur, alternante populo vulgari idiomate laudem, cumque ad Ecclesiam reditur, hymnus *Te Deum*. Sicuti e Parochiali Augustissimo Sacramento exeunte, & ad eam revertente, omnes Ecclesiae ejusdem pulsari debebunt campanae, ita pariter Ecclesiarum quarumcumque, ante quas Sacramentum ipsum transire contigerit, Campanas omnes pulsandas esse statuimus (*bbb*). Clerici talari veste, ac superpelliceo induti non modo Baldachini hastas, quod alibi jam sancivimus, deferant (*ccc*), verum etiam & Ritualem librum, & bursam cum Corporali, & vascu-

(zz) S. R. C. 13. August. 1695. Syn Fulginat. 1722. c. 19. n. 14.

(*aaa*) Syn. Fulginat. loc. cit. n. 13. Syn. Ferrarien. 1781. p. 3. c. 2. n. 23.

(*bbb*) Syn. Anconit. p. 2. t. 4. art. 1. de Commun. infirm.

(*ccc*) Vid. sess. 2. tit. 2. n. 4.

lum aquae benedictae cum Aspersorio. Viri praecedant, sequantur foeminae, hae autem, si nocturno tempore, quod sola fiet necessitate cogente, Sacrum deferatur Viaticum, ne pedem audeant efferre domo, sed votis, ac precibus Dominum sint comitari contentae. Facto ad Ecclesiam reditu, pupuloque impertita cum Sacra Pyxide benedictione, evulgabit Parochus Indulgentias, quas bis saltem in anno, & Paschali potissimum tempore non conglobatim, ut fieri communiter solet, sed singillatim, ut in Appendice dabimus, exponet (*ddd*). Illud opportune addere hic juvat, nunquam omnino privatim, nisi gravissima urgente caussa, Sanctissimam deducendam esse Eucharistiam (*eee*), nec ab alio ad infirmos deferendam, nisi a proprio Parocho, qui si legitimo detineatur impedimento, Sacerdotem alium ad Confessiones audiendas adprobatum substituere semper debebit (*fff*).

X. Commendatione dignissima obtinuit jam consuetudo, ut Sacratissimum Christi Corpus publice fidelibus adorandum quandoque exponatur. Haud tamen nimia laudanda est expositionum, quas vocant, benedictionumque frequentia, quippe quae, ut satis est exploratum, minuere potius, quam augere soleat erga Augustissimum illud Mysterium obsequium, ac venerationem. Quamobrem Synodali decernimus lege, nulla in Ecclesia, neque etiam Regularium vel per brevissimum temporis spatium, aut pro danda tantum benedictione Sacram exponendam esse Eucharistiam, nisi a Nobis in scriptis fuerit prius facta potestas (*ggg*). Ut autem certam statuamus universa in Diocesi hac

---

(*ddd*) Vid. in Append. num. XIV. & XV.

(*eee*) Paullus III. Const. *Dominus noster* 30.

(*fff*) Act. Mediol. p. 1. Conc. Prov. IV. p. 2. quae ad Eucharist. pert. §. *ad Aegrum*.

(*ggg*) Bened. XIV. Epist. ad Episc. Warmien 16. April. 1746., & Epist. ad Card. Urbis Vicar. 2. Jul. 1755. Idem Notif. 30. num. 10.

de re normam, qua tum debitae Divino huic Sacramento reverentiae, tum pietati quoque consulatur fidelium, Ecclesiarum omnium tam Saecularium, quam Regularium Praefectis onus imponimus, intra duos menses ab hujusce Synodi publicatione numerandos; Curiae Nostrae scripto indice declarandi, quot quibusque diebus fieri consueverint expositiones (*hhh*), ut, quas adprobare Nobis in Domino visum fuerit, ad futuram memoriam describantur. Eas autem etiam nunc interdicimus omnes, quae in dicto superius tempore enuntiatae non erunt, ast integrum esse volumus tum Regularibus, ut fuit suo loco dictum, tum caeteris Ecclesiarum Rectoribus private, intra Tabernaculum scilicet, apertoque tantum ostiolo, adorationi exhibere salutarem hostiam velatae Pyxidi inclusam (*iii*), quod tamen nec temere, nec frequenter, sed raro admodum, ac rationabili semper faciendum est caussa.

XI. Ubi Nostro accedente consensu publice Eucharistia exponatur, sequentes adamussim servandae erunt jugiter regulae. 1. In Ara unice maxima, nisi aliter fuerit a Nobis concessum, fiet expositio cereis collucentibus saltem quatuordecim, & amotis Sanctorum quorumcumque Reliquiis, atque Imaginibus, imo contecta etiam superposita Icone, si Sacramentum per aliquod temporis spatium maneat expositum. 2. Una excepra Missa pro expositione, & altera ad summum pro depositione, nulla in eo Altari celebrabitur alia; quae vero ad caeteras dicentur Aras vel votivae erunt de Sanctissimo Sacramento, si ritus id ferat, vel respondebunt officio, addita de Sacramento Oratione, nunquam tamen pro Defunctis, sive ut ajunt *de requiem*. 3. Nec quaeritari eleemosynas lancibus etiam ad aliquam Ecclesiae partem appositis to-

---

(*hhh*) Syn. Ferrarien. 1781. p. 2. c. 4. n. 15.

(*iii*) Bened. XIV cit Epist. ad Urbis Vicar. Edict. Emi Honorati Episcopi Senogall. 24. Decembr. 1778.

lerandum est, nec ad Missarum elevationem campanulas decet pulsari. 4. Ad quodlibet obeundum circa Altare ministerium, & ad ipsas quoque emungendas candelas, soli Clerici superpelliceo induti, aut iis deficientibus, laici semper vestiti sacco adhibeantur. 5. Sacerdotes duo, aut duo saltem Clerici distributis horis coram Sanctissimo Sacramento continenter adstent orantes, hi superpelliceum, illi insuper Stolam habentes e collo pendentem albi coloris, cumque in Cathedralibus, aut Collegiatis Ecclesiis fiet expositio, Dignitates, & Canonici, Basilicarum Urbis Canonicos imitantes, caeteris praeeant Sacerdotibus, nec nimio gravari querantur onere, si Dominorum Dominum debita hac officii sui prosequi ratione moneantur. 6. Ubi plures fuerint canonice erectae sodalitates, singulae alternatim ad orandum conveniant: ubi una tantum, aut altera, quatuor vicissim adsint per singulas horas sodales. 7. Clerici prope Altaris gradus consistant, laici semper extra presbyterium, omnes autem detecto capite, & in genua provoluti. 8. Expositione facta Litaniae Sanctorum canantur cum precibus, atque orationibus suis, eaedemque immediate ante depositionem iterentur: Sileant tamen Musici perdurante expositione concentus, & solum ad harmoniam canere liceat hymnum *Tantum ergo*, cum populus erit benedicendus.

XII. Excerpta haec ab instructione Romana (*kkk*) *Quadraginta horarum*, & a Sacrarum Urbis Congregationum decretis (*lll*) sub poenis arbitrio Nostro infligendis nefas erit violare. Ea tamen ita praescribimus, ut locum integre habeant, si diuturnior sit expositio; si autem Divina proferatur hostia pro danda solum benedictione, iis sartis tectis, quae de luminum

(*kkk*) Instruct. pro 40. horis edit. jussu summ. Pont. Clemen. XI. Innoc. XIII. Bened XIII., & tandem Clem. XII. anno 1730.
(*lll*) Vid. Bened. XIV. notif. 30.

numero, de eleemosynis non quaeritandis, de muneribus circa Altare a solis Clericis obeundis innuimus, sequentia observari mandamus. 1. Nullae unquam dicantur Sacramento exposito preces neque ad Sanctos, neque ad Deiparam (*mmm*). 2. Ante hymnum *Tantum ergo* recitetur Oratio Dominicalis cum Angelica salutatione, & *Gloria Patri* (*nnn*). 3. Duplex fiat semper thurificatio, immediate scilicet post expositionem, & ad versiculum *Genitori*, *Genitoque* (*ooo*). 4. Post orationem de SS. Sacramento *Deus qui nobis &c.* tres aliae dicantur, nempe pro Papa, pro Episcopo, pro Civitate, aut Parochia, quas suo loco dabimus (*ppp*). 5. His demum absolutis, ter Sacrum iteretur populo alternante Trisagium *Sanctus Deus &c.*, populoque mox benedicto, ad infimum Altaris gradum, ubi velum humerale receperat, ibi Sacerdos deponat (*qqq*). Maxime interea gaudentes in Domino, quod saturnalibus feriis post horribile illud, quo percussi fuimus anno 1781., terraemotus flagellum, pluribus in Ecclesiis SS. Corporis Christi exponendi, suadentibus Nobis, atque excitantibus religiosus mos invaluerit, quemadmodum, ut perseveret, imo etiam, ut ubique inducatur, vehementer optamus; ita fideles omnes pastorali Nostrae creditos curae enixissime hortamur, ne clementissimum Redemptorem, ac Dominum nostrum in deliciis habentem esse cum filiis hominum, debito ab hominibus fraudari sinant obsequio, eamdem enim & ipsi mererentur factam Apostolis exprobationem (*rrr*) *non potuistis una hora vigilare mecum?* Et unde immen-

(*mmm*) Byssus verb. *Expositio* n. 232. §. 5.

(*nnn*) Cit. Edit. Emi Honorati.

(*ooo*) Cit. Instruct. quadraginta horar.

(*ppp*) Vid. Edict. cit.

(*qqq*) Gavant. cum addit. Merat. de Fest. Corp. Chr. §. 8. n. 17. & 24.

(*rrr*) Matth. 26. 40.

sos misericordiae comparare sibi possent ex ipso fonte thesauros, inde iram, indignationemque thesaurizarent (*sss*). *Adeant ergo cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequantur, & gratiam inveniant in auxilio opportuno* (*ttt*), sciantque, nihil Christiano homine dignius, nihil aeterno Numini gratius, quam ut non figuram, aut imaginem aliquam, sed Deum ipsum sacramentalibus velatum speciebus devoto, pioque animo venerentur.

TITULUS V.

De Sacrosancto Missae Sacrificio.

I. Quantae sit excellentiae, ac dignitatis Sacrosanctum Missae Sacrificium, ex eo conjici facile potest, quod non ad repraesentandum solum, verum etiam ad continuandum Sacrificium Crucis fuerit a Christo Domino institutum. Una enim, eademque est hostia, atque idem incruente nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum cruente obtulit in Ara Crucis (*a*). Hinc Missa, & Sacrificium est Christi, cui proprie, absoluteque Sacerdotis competit nomen, utpote qui victimam, cujus fit oblatio, solus reipsa immolavit, & est Sacrificium Ecclesiae, quia Ecclesia, & fideles per Sacerdotum manus Christum, seseque cum Christo offerunt Deo Sacrificium: atque inde profecto fit sapientissimo plane Divinae bonitatis consilio, ut homines, quorum omnia in Dei conspectu sunt misera, tum debitas aeternae Majestati tribuere laudes, paresque pro meritis referre gratias, tum placatam sibi, propitiamque, & ad conferenda beneficia dispositam reddere praestantissimi hu-

(*sss*) Rom. 2. 5.
(*ttt*) Haebr. 4. 16.
(*a*) Conc. Trid. sess. 22. c. 2.

jus Sacrificii vi possint. Quae cum ita sint, *satis apparet, omnem operam, ac diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxime fieri potest interiori cordis munditie, & puritate, atque exteriori devotionis specie* Sacrificium Missae *peragatur* (*b*); quod quidem & memoria teneant, & prae oculis habeant omnes necesse est Sacerdotes, quos Christus Dominus tanti operis constituit Ministros, parum hinc esse arbitrantes, si mortali labe polluti, quod sacrilegum foret, horrendumque scelus, ad Altare Dei introire non audeant, nisi etiam veniales oderint culpas, virtutibusque exornentur. *Quo enim non oportet*, inquit Chrysostomus (*c*), *esse puriorem tali fruentem Sacrificio? Quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc dividentem? Os, quod igne spirituali repletur? Linguam, quae tremendo nimis sanguine rubescit?* Piis igitur se preparent precibus, & seria in primis consideratione, quid acturi sint, meditentur. Non recitato Matutino saltem cum Laudibus (*d*), nec praemissis orationibus ab Ecclesia praescriptis, ad celebrandum accedere Rubricae lex vetat, vetatque intentus Divinae faciendae rei animus, hac illac per Sacrarium vagari, aut sermones serere inanes. Missam praelegere, & suis aptare locis in Missali signacula ad errores vitandos opportunum erit (*e*), quod ut rite fiat, & juxta Kalendarii praescriptum, in Ecclesiarum omnium Sacrariis Kalendarium expositum haberi praecipimus (*f*). Sacerdotalibus denique paramentis amicti ita ad Altare compositi progrediantur, ut facie, oculis, incessu, totoque corporis habitu

(*b*) Conc. Trid. sess. 22. in decret. de observand. & evitand. in celeb. Missae.

(*c*) S. Joan. Chrysost. Hom. 60. ad popul.

(*d*) Rubr Missal. de praepar. Sacerd. §. 1. Bened. XIV. de Sacrif. Missae c. 13. & 4.

(*e*) Act. Mediol. Conc. Prov. 1. p. 2. Quae pert. ad celeb. Miss.

(*f*) Syn. Ferrarien. 1781. p. 2. c. 5. n. 4. aliaeque.

pietatem spirent, intimamque animi religionem, qua potissimum fragrare debent, dum Eum manibus contrectant suis, sub quo curvantur, qui portant orbem, & in cujus nomine coelestium, terrestrium, & inferorum genua flectuntur.

II. Talarem cum manicis vestem, quam prius induerint, non tamen in Ecclesia, aut Sacrario sub poena suspensionis latae sententiae, Nobisque reservatae, ab omnibus Dioecesis Nostrae Sacerdotibus esse adhibendam in Missae celebratione Praedecessorum Nostrorum inhaerentes decretis mandamus (*g*). Ruri autem degentibus, qui ad alienam Ecclesiam se conferunt celebraturi, aliena uti posse talari veste permittimus etiam sine manicis, dummodo caetera habeant coloris omnino nigri, seu subobscuri indumenta, quod iis quoque pari sub conditione indulgemus, qui e Civitate, aut ex Oppidis ad rurales commeant Ecclesias. Hos, illosve, si dicta careant talari saltem sine manicis veste, suspensos illico declaramus, si vero caeteris nigris, vel subobscuris omnino indumentis, quinque aureorum multamus poena absque spe veniae solvenda, quam ad Rectores pariter, ac Sacristas extendimus, qui id permittant, vel quoquo modo patiantur. Idem Sacerdotibus exteris, advenisque, sed tantum ad mensem (*h*) concedimus, quorum commodo non lacera tamen, nec obsoleta talaris vestis sine manicis retineri in Sacrariis debebit. Hos vero si vagi sint, & ignoti caveant Sacrariorum praefecti, custodesque singuli tam Saeculares, quam Regulares sub eadem suspensionis poena, si sint in Sacris constituti, si vero Laici sub poena trium aureorum (*i*), ne ad celebrandum admittant celebrandi

(*g*) Syn Barusii, Castelli, Fabretti, ac demum Bajard. p. 2. c. 5. §. *Cum exigat*. Bened. XIII Edict. Urb. in Append. ad Concil. Rom. Bened. XIV. Notif. 34. § 4. n. 13.

(*h*) Conc. Rom. tit. 16. c. 3. & Edict. cit. Syn. Civit. Castelli 1766. act. 1. c. 5. n. 3.

(*i*) Bened. XIV. & Syn. Civit. Castelli loc. cit.

facultatem a Nobis, sive a Generali Nostro Vicario in scriptis factam non habentes. Quod de talari statuimus veste, idem pari modo de clericali tonsura, deque linea vitta, quam *Collare* dicunt, volumus esse statutum. Neque annulum insuper, neque pileolum, neque fictam coesariem sine Apostolico indulto audeant Sacerdotes ad Altare deferre (*k*). Sordida veste, laceris tibialibus, indutis ocreis, calceis luto infectis consistere ad Aram turpe est; at profanum omnino crispatis foemineo more capillis, & cyprio albicantibus pulvere. In alterutro peccantes pro modo culpae puniemus, nec impune prorsus abibunt, qui tabacco, ut ajunt, ante Missam immodice utentes, guttis e naso excurrentibus, quod stomachum movet, mappas, & Corporalia deturpant.

III. Nullibi nisi in Ecclesiis, aut in Oratoriis Deo dicatis, Nostraque erectis, ac benedictis auctoritate Missa celebretur (*l*). Fixa erunt ubique Altaria, & decenter ornata, nec unquam super Defunctorum sepulcro constructa (*m*). Aut ab Episcopo consecrata sint, aut consecratum habeant super impositum lapidem. Stet super singula Christi Domini e Cruce pendentis imago ita in medio locata, ut commode & a celebrante, & a populo conspiciatur. Hanc ibi Missa durante retinendam esse certum est, quamvis Tabernaculo inclusa sacra asservetur Eucharistia; quod si fidelium adorationi fuerit exposita, tunc Ecclesiae cujusque observanda erit consuetudo. Ubi autem in Altaris tabula Crucifixi imago vel caelata, vel picta primum habeat locum, Crux omitti potest (*n*). Tribus contegantur lineis Altaria quaecumque Mappis, quas semper mundas convenit esse. Mundae item sint li-

T

(*k*) Bened XIV. de Syn. Dioec. l. 11 c. 9

(*l*) Cap. *Sicut* 11 Cap *Non oportet* 22. de Consecr. Conc. Trid. sess. 22. Decr. cit.

(*m*) Cap. *Praecipiendum* 13. q. 3. S. C. C. pluries.

(*n*) Bened. XIV. Const. *Accepimus* 16. Jul. 1746.

neae Pallae, munda Purificatoria, mundissima Corporalia, quae immaculatam debent Hostiam excipere. Summa quoque in Sacerdotalibus vestibus singulis munditia niteat, quas in pauperibus Ecclesiis pauperes esse non dedecet; at scelus est, si foedae, inquinatae, discissae inveniantur. Candelae ad Missam accendendae, Missis defunctorum exceptis, & feria VI. in Parasceve, albae sint cerae, *& ea exiguitate ne adhibeantur, quae in tanto Mysterio dedeceret, & adstantibus offensionem afferre posset* (*o*). Nec Canonicis, nec Dignitatibus convenit, ut plures accendantur, quam duae (*p*), quinimo iis, licet Prothonotariis, inhibitum est, quominus in Missa privata ab inserviente sibi Clerico sinant Missale sustineri, folia verti, indicari orationes, tegi, vel detegi Calicem, vinumque in eo infundi, cum singuli non secus ac simplices Sacerdotes debeant celebrare (*q*). Auro bene obducti Calices erunt interius, exterius saltem Patenae: Episcopalis utrisque consecratio accedat, oportet: Utensilia caetera, & Sacerdotalia indumenta sola indigent benedictione a Nobis petenda, aut ab iis, quos ex Apostolica Nobis facta facultate delegabimus, non vero a Praelatis Regularibus, qui pro suis unice Ecclesiis benedicendi auctoritate sunt praediti (*r*).

IV. Praescriptos, probatosque a S. Romana Ecclesia ritus adamussim observent in Missa celebranda Sacerdotes, & quae clara voce dicenda sunt, & quae submissa, eo prorsus recitent modo, qui a Rubrica indicatur. Minimas etiam exactissime peragant coeremonias, quas totidem esse religionis actus, & credere, & meminisse debebunt. Porro maledictiones in Deu-

(*o*) Act. Mediol. Conc. Prov. I. p. 2.

(*p*) S. R. C. In una Castridurantis 7. August. 1627. & in Aquil. 7. Jul. 1734. Ap. Ferraris n. 952.

(*q*) S. R. C. in Fulginaten 25. Jul. 1720. Apud Syn. Fulginat. 1722., & in Aquilana 7. Jul. 1739.

(*r*) Bened. XIV. Notif. 21.

teronomio non custodientibus coeremonias Domini indictas (*s*) exhorrescentes, Missae coeremonias, novo interdum experimento, quod expresse edicimus, probent, caveantque ne nimium fortasse festini illas aut confundant, aut mutilent, aut praetermittant. Brevitati ita studeant, ut suae consulant prius conscientiae, tantaeque, ac tam tremendae Actionis decori, dignitatique. Curent igitur in Missae celebratione semihorae non excedere spatium; at brevius tertia horae parte tempus in ea insumere (*t*), modicae fidei, summaeque irreverentiae, quae vix ab impietate sejuncta esse potest, sciant fore argumentum. Festinatores hosce irreligiosos, quorum neminem in Dioecesibus Nostris inveniri confidimus, si quando ad Nostras Ecclesias contigerit adventare, a Sacristis moneri prius volumus, mox vero, si non resipiscant, ad Nos deferri, celebrandi continuo facultate privandos ac, si opus sit, aliis etiam multandos poenis (*u*), quas pro arbitrio Nostro ne ipsi quidem effugient Sacristae parte in hac negligentes. Ad Sacerdotium recenter promoti, ut tanti muneris habeant sibi bene principia, firmiter apud animum statuant, *non quasi ex consuetudine, sed magna cum attentione, & devotione, sedate, tranquille, leniter Missam esse celebrandam, ut spiritualem, Divinamque rem agi, omnes cognoscant* (*x*). Ne vero aut Sacrorum ignari rituum, aut minus parati maximum adgrediantur religionis opus, sub gravi arbitraria poena (*y*) eos primam celebrare nolumus Missam, nisi obtenta a Nobis in scriptis venia, quam nullo dabimus pacto, quin prius tum de pia

(s) Deuter 28. 15. 45

(*t*) Edict. Urb 1724. ad calcem Conc Rom. Bened. XIV. de Sacrif. Missae l. 3. c. 24. n 3. Idem Notif. 29. §. 6.

(*u*) Edict. cit., & Bened XIV. loc. cit.

(*x*) Act. Mediol. p. 3. decret. Visit. Apostol.

(*y*) Syn. Civit. Castelli 1766. act. 1. c 5. n. 22. Syn. Anconit. 1779. p. 2. tit. 4. art. 2. Syn. Bajardi p. 2. c. 5. §. *Expedit*.

ipsorum animi dispositione, tum de sufficienti in coeremoniis peritia jurato Nobis testimonio constiterit. Hos interim vehementer hortamur, ne inanibus pompis, immoderatisque comessationibus perpetuo sibi memorandam diei solemnitatem profanam reddant, sed in agendis Deo gratiis pro tam eximio, singularique beneficio totam continenter insumant.

V. Missa cum officio, quoad fieri potest, conveniat (*z*). Hinc consuetudo illa probari nequit, qua diebus officii sive semiduplicis ritus, sive ferialis Defunctorum Missa, brevitatis fortasse gratia, solet passim a Sacerdotibus celebrari. In Ecclesiis, ubi duplex habetur officium, votivam celebrari nefas est Missam etiam a Sacerdote, qui semiduplici, vel feriali solum obnoxius sit ritui (*aa*). Ubi vero festum habetur ritus duplicis cum Missa propria, quae alicui specialiter concessa sit Ecclesiae, vel Ordini, de festo ipso celebranda erit a Sacerdotibus quibuscumque convenientibus Missa, sed quae in Romano prostat Missali, quod Capellani praesertim, & Confessarii Monialium advertere debent (*bb*), nisi peculiare aliquod in contrarium adesse noverint, clarum tamen, indubiumque privilegium. In dictarum Ecclesiis Monialium extra Solemnitatum, & Officiorum occasionem Regularibus celebrare in scriptis a Nobis facultate non facta, interdictum esse jam diximus (*cc*). Idem decernimus de Sacerdotibus exteris, nam quoad Nostros, & si parem statuere legem in Nostra sit potestate, nihil tamen in praesenti ducimus esse innovandum (*dd*). Privatae Missae vetantur in solem-

(*z*) Rubr. Gen. missal. tit. 4. n 3.
(*aa*) S. R. C. In Conversan. 1668.
(*bb*) S. R. C. Decret. gen. 15 Septembr. 1714. sub. Clem XI.
(*cc*) Vid. sess. 2. tit. 9. n. 4.
(*dd*) S. C. Episc. 9. Decembr. 1651. in Placentin. ap. Nicol. In Flocul. verb. Missa. Syn. Civit. Castelli 1766. art. 1. c. 5. n. 9.

ni Nocte Nativitatis D. N. J. Christi, tribusque diebus ultimis majoris hebdomadae: Solemnes tribus hisce memoratis diebus celebrari in illis tantum Ecclesiis poterunt, ubi Sanctissima asservatur Eucharistia, ritibus tamen servatis omnibus a Rubricis dierum eorundem praescriptis (*ee*). Ultra tertiam horae partem sive ante auroram, sive post meridiem inhibitam esse Sacerdoti cuique celebrationem (*ff*) compertum est, nisi aut Apostolico indulto, aut etiam in peculiari aliquo casu ex Nostra licentia aliter fieri permittatur (*gg*). Quum autem in Cathedralibus Nostris Ecclesiis ex S. Sedis gratia una post meridiem hora pro populi commoditate Missam liberum sit celebrare, ut ea nunquam festis diebus praetermittatur, edicimus. Ab hisce legibus ne latum quidem unguem recedant, qui privati Oratorii privilegio gaudent, caveantque in primis, ne vel non unica tantum, vel vetitis sibi diebus Missa in iis celebretur, memoria tenentes, factam ipsis facultatem ita ex arbitrio Nostro pendere, ut eam possimus, quoties opus fuerit, adimere. Nullibi tandem Sacerdoti ad Altare ministranti inserviant inculti homines aut sordidi, aut imperiti. Experti vero, quae propria sunt Diaconi, aut Subdiaconi munia, nunquam exercere praesumant (*hh*).

TITULUS VI.

De implendis Missarum oneribus.

I. Mos a primis Ecclesiae saeculis apud Christianos obtinuit, ut oblationes in Ecclesia Sa-

---

(*ee*) S. R. C. de mandat. Alex. VIII. in Febr., & 11. Mart. 1690. Eadem de mand. Clem. XI. 20. April 1707., & 13 Aug. 1713. Eadem. 14. Jan 1659. in Neapolitan. Vid. Append. n. XVII.

(*ff*) Edit. Urbis sub Bened. XIII. & Clem. XII. apud Bened. XIV. Notif. 12. n. 4.

(*gg*) Syn. Anconit. 1779. p. 2. t. 4. art. 2. §. *Ad Ritum*.

(*hh*) Syn. Ferrarien. 1781. p. 2. c. 5. n. 15.

crificii tempore herent tum ad Sacrificium ipsum conficiendum, cujus offerebantur panis, ac vini elementa, tum ad Ministrorum substentationem. Oblationibus paullatim obsolescentibus, Missarum suffectae sunt eleemosynae, quas, ne fraudentur operarii mercede, ac cibo suo (*a*), & ne suis militent Sacerdotes stipendiis (*b*), jure ipsis debitas esse Ecclesiastica jam consuetudo probavit. Unius igitur julii Romani pro singulis adventitiis, sive, ut ajunt, manualibus Missis eleemosynam in more hisce in Dioecesibus positam, atque alias legitime constitutam (*c*) confirmantes, sicuti pinguiorem permittimus sponte oblatam, nulla tamen fraude intercedente, recipere, ita pacisci, aut exigere Sacerdotibus tam Saecularibus, quam Regularibus omnibus nefas esse edicimus (*d*) Quoad Missas vero, quas dicunt perpetuas, fundum assignandum esse decernimus cujus annui fructus obulorum septemdecim stipendio pro singulis Missis respondeat (*e*). Nemo tamen quicumque sit, vel quacumque dignitate praefulgeat, nec pro suo beneficio, aut Ecclesia, nec proprio quolibet, cujus gerat administrationem, loco, sub poena interdicti Ecclesiastici, & nullitatis, haereditatem, legatum, dispositionemque, cui pium aliquod onus adnexum sit, aut suscipere audeat (*f*), aut repudiare (*g*), quin prius Nostra in scriptis data intercesserit venia. Quod si piorum quorumcumque locorum foeneratam pecuniam dimitti, aut extingui,

(*a*) Matth. 10. 10. Joan. 12. 6.

(*b*) 1. Corinth. 9. 7.

(*c*) Syn. Bajardi p. 2. c. 6. de mercim. vitand. in celeb. Missae.

(*d*) Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 5. c. 9. n. 2.

(*e*) Conc. Rom. t. 15. c. 8.

(*f*) Decr. Urb. 8. confirmat. ab Innoc. XII. Const. *Nuper* §. *Ad haec*.

(*g*) Cap. *Nos quidem*, ibique Glossa 5 Conc. Trid. sess. 22. de Ref. c. 6. & sess. 25. c. 8. Syn. Bajardi p. 2. c. 6 de Missar. onerib. §. *Vetamus*. Syn. Fulginat. 1722. c. 24. n. 4.

aut alio aliquo distrahi modo contigerit, in Sacra pietatis Æde, sive penes Depositarium a Nobis deputatum eam intra tres dies deponi mandamus sub poena pariter interdicti (*h*), nec inde amoveri, ut iterum ponatur in foenus, nisi facta a Nobis fuerit in scriptis aequo modo potestas (*i*).

II. Etsi quaecumque Ecclesiasticae dignitatis officia, ut ait Bernardus (*k*), in turpem convertere quaestum horrendum sit crimen, nihil tamen horribilius esset, quam celebrationis proponere sibi finem stipendium. Hanc, quam Ecclesia damnavit (*l*), sentiendi, agendique rationem & Nos damnantes, Sacerdotes omnes, quantum in Domino possumus, vehementer hortamur, ut omnem a se minimae etiam avaritiae suspicionem in tanti momenti re prorsus avertere satagant. Quapropter tot semper celebrent Missas, quot pro eleemosynam dante celebrandas susceperunt, nullo habito ad stipis tenuitatem respectu; atque adamussim in die, & Altari ab eo praescripto (*m*). Plures nunquam celebrandas assumant, quam intra modicum tempus (*n*), intra mensem scilicet (*o*) prioribus satisfactis obligationibus, novas implere possint, nisi stipendium dantibus monitis, ac consentientibus, sibi aliter licere intellexerint. Consueta pinguiorem, si pro manuali Missa receperint stipem, celebrationem alteri committentes integram eandem cedant, nec partem sibi reservent aliquam, etiam si reservationi consentiat, qui Missam erit celebratu-

(*h*) Const. cit *Nuper* § *Praeterea*. S C C. in Firmana Legatorum 21. Jun 1721. Thesaur. resolut. tom. 2. Syn. Bajardi loc. cit. §. *Atque*.

(*i*) Syn. Fulginat. loc. cit. Syn. Bajardi ubi supra.

(*k*) D. Bernard. declam. in illud *Ecce Nos* c. 4. & 5. & in Psalm. *Qui habitat*.

(*l*) Prop 45 ex damnat. ab Innoc. XI.

(*m*) Decret. S. C. C. sub Urban. VIII 22. Jul. 1625.

(*n*) Const. cit *Nuper* § Eleemosynas.

(*o*) Bened. XIV. Notif. 56. n. 14.

rus (*p*), suspensioni autem ipso jure incurrendae, Summoque Romano Pontifici reservatae obnoxios fore declaramus Sacerdotes, & Clericos omnes, qui eleemosynas colligentes Missarum, eas alibi celebrandas curarent minori stipendio, lucrumque inde aliquod sibi compararent (*q*). Eleemosynae omnes quarta Dominica Quadragesimae, Commemorationis Defunctorum omnium die, & in capsulis quibuscumque ex pia fidelium largitione collectae, per Parochum, Sacristam, vel alium deputatum a Nobis Sacerdotem fideliter in Codice descriptae, quem pro adventitiis Missis in Cathedralium, Collegiatarum, ac Parochialium omnium Ecclesiarum Sacrariis retinendum esse jubemus, fideliter aeque, & integre, quanto fieri poterit citius, in celebrationem erogentur Missarum, quae in eodem Codice erunt parte alia adnotandae (*r*). Adventitiae interim Missae quin Nobis inconsultis extra Nostras Dioeceses celebrandae committantur, omnino inhibemus (*s*).

III. Perpetua, ut ajunt, Missarum onera ad Testatorum mentem implenda ita sunt, ut nec Ecclesia, nec Altare, nec dies, nec ritus a celebrante, aut a quolibet alio sine legitima caussa a Nobis rite adprobanda queant immutari, Missaeque mutato ordine celebratae, si frequens fuerit, atque ex industria error, tamquam si celebratae non fuerint, erunt habendae, multa insuper peccantibus addita pro modo culpae arbitrio Nostro irroganda (*t*). Si vero Sacerdos vel prorsus satisfactionem omiserit, vel praescripto tempore pro-

---

(*p*) Bened. XIV. de Syn. Dioec. c. 9. l. 5. n. 2. Idem Const. *Quanta cura* 30. Jun. 1741.

(*q*) Const. cit. *Quanta cura* § 5.

(*r*) Decret. edit. sub Clem. XI 1. Octobr. 1704. apud Ferraris verb. Missa art. 15. n. 2.

(*s*) Syn. Ferrarien. 1781. p. 2. c. 5. n. 29.

(*t*) Edict. Urb. 25. Jan. 1708. jussu Clem. XI. Syn. Bajardi p. 2. c. 6. §. *Ubi vero*.

priae satis non fecerit obligationi, trium juliorum poena pro qualibet deficiente Missa multabitur, assignato sub poena etiam graviori brevi temporis spatio pro integra complenda satisfactione (*u*). Missa celebrata, in apposito Codice pro perpetuis oneribus in unoquoque Sacrario asservando, propria quisque manu Sacerdos nominis, cognominis, mensis, ac diei obsignatione oneri suo fecisse satis testabitur. Qui duplicem in die Missam, vel non celebratam pro celebrata falso, fraudulenterque adnotaverit, sit ipsofacto suspensus (*x*). Missarum Codices a Sacrariorum Custodibus, Praefectisque ita custodiantur, ut nulla eis unquam ab iniqua manu inferri possit injuria. Initio autem cujusque anni, & ante decimum Januarii diem Vicario nostro Generali in Civitate, Vicariis Foraneis, & Revisoribus deputatis in Dioecesi exhibeantur, qui diligenter onerum singulorum expendentes satisfactionem, ad hujus nostrae Synodalis sanctionis tramites sententiam ferant (*y*). Monitos interim volumus Sacerdotes ad certum Missarum numerum in annos singulos celebrandum adstrictos, oneris sui satisfactionem non posse in finem anni sine culpa rejicere; pro rata enim fructuum in dies perceptorum parte, obligationes exsolvere tenentur suas (*z*).

IV. Ne temporum unquam, aut hominum injuria fiat, ut piarum dispositionum obliteretur memoria, Animaeque Defunctorum fidelium debitis priventur suffragiis, districte praecipimus, ut in Ecclesiae uniuscujusque sacrario onerum singulorum affixa tabula pendeat, qua distincto indice perspicue pateant, & quae perpetua sunt, & quae ad praefinitum

U

(*u*) Edict. cit. Syn. Civit. Castelli 1766. act. 1. c. 5 n. 14.

(*x*) Syn. Anconit. 1779. p. 2. tit. 4. de implend. oner. Missarum.

(*y*) Vide sess. 2. tit. 6. n. 12. & tit. 7. n. 4.

(*z*) Syn. Bajardi p. 2. c. 6. de Missar. oner. §. *Piorum*, & ibi allegat. Syn. Fulginat. 1722. c. 24 n. 10. & 11.

tempus imposita, instrumentis, testamentisque cum Notariorum nomine, & anno, & die institutionem probantibus indicatis, & designato loco, tempore, & numero celebrandarum Missarum; cujus quidem tabulae a Nobis prius, vel a Vicario Nostro Generali recognitae exemplum intra duos menses post hujus Synodi publicationem, Ecclesiarum sacrariis Praefecti librarum cerae albae trium interposita poena ad Nostram deferent Cancellariam (*aa*). Piae item omnes dispositiones sive inter vivos factae, sive caussa mortis a Notariis, Parochis, aliisque quibuslibet, qui eas excripserint, ad eandem Cancellariam erunt, sive ad Nos ipsos intra duos pariter menses renuntiandae, quod ita definite jubemus, ut praeter culpam Nobis reservatam, quam negligentes contrahent, aureorum decem subituri omnino sint poenam (*bb*).

V. Nihil ex manualibus eleemosynis detrahendum est favore Ecclesiae utensilia Sacerdoti ad celebrandum praebentis (*cc*). Quoad Missas autem perpetuas, Ecclesiis Nostris inopiae gratia permittimus, ut aliquam exigant diuturni oneris compensationem, quae tamen obulorum duorum summam in Missas singulas non excedant (*dd*). Aliquam etiam utensilium nomine, sed exiguam summam juxta Dioecesis hujusce morem ab Ecclesiis percipi indulgemus, cum ex collectis eleemosynis generalia pro Defunctis Officia fiunt, vel confluentibus undequaque ad celebrandum Sacerdotibus festivitates celebrantur Sanctorum. Id vero ruralium etiam Ecclesiarum Rectoribus permissum esse declaramus pro honesta convenientium Sacerdotum refectione, de qua cum Sessione II. Tit. VI. n. XI. opportune egerimus, nihil hic loci adden-

---

(*aa*) Syn. Civit. Castelli 1766. act. 1 c. 5. n. 16.

(*bb*) Syn. Bajardi p. 2. c. 6. §. *Ne piae*. Syn. Urbinat. 1753. sess. 4. t. 9. § 2.

(*cc*) Bened. XIV. Notif. 46. n. 12.

(*dd*) Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 5. c. 9. n. 3.

dum esse putamus. Addimus tamen in celebratione Missarum tum a Parochis, tum a Capellanis cum Festis diebus servandum esse ordinem, quem populorum commoditas magis expostulabit. Quamvis autem nullam hac de re praescribamus legem, quippe quae ruri praesertim Parochorum committenda est prudentiae; ubi hi suae malint blandiri desidiae, quam populo apte inservire, justas luent poenas arbitrio Nostro irrogandas (*ee*). Illud tandem, quod sane quam maxime optamus, dum suas fideliter implent Missarum obligationes, Sacerdotes universi in animo habeant, ut sese quotidie cooperatores non tantum exhibeant, verum etiam imitatores Ejus: *Qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis* (*ff*).

TITULUS VII.

De Sacramento Poenitentiae.

I. *Quemadmodum humanae naturae fragilitas, & imbecillitas omnibus nota est, eamque in se ipso quisque facile experitur, ita, quantam habeat necessitatem Poenitentiae Sacramentum, ignorare nemo potest* (*a*). Nullum idcirco est aliud in Ecclesia Dei Sacramentum, quod oporteat frequentius administrari. Atque utinam ita semper administretur, ut meritum sibi parent Ministri, suarumque veniam culparum, & meliorem vitae rationem Christifideles! Quamobrem Parochi in id toto animo incumbant, ut sibi creditae plebi universam diligentissime explicent de Poenitentiae Sacramento doctrinam, quam lutulentis novarum opinionum rejectis rivulis, ex purissimo Catechis-

(*ee*) Syn. Feretran. 1734. tit. 12. c. 7.
(*ff*) Ephes. 5. 2.
(*a*) Cathec. Rom. de Sacram. Poenit. c. 5. n. 1.

mi Romani fonte cumulatissime haurient. In primis autem prae oculis habentes lacrymandam illam confitendi peccata, iterumque peccandi vicissitudinem, quae haud dubium falsae poenitentiae facit indicium; animas Jesu Christi redemptas Sanguine, ut Lateranense Concilium II. monet (*b*), ne tanto, tamque funesto decipi errore patiantur, ac propterea assidue doceant, secundam hanc post naufragium poenitentiae tabulam non omnibus indiscriminatim ad salutem prodesse, sed iis tantum, qui ad eam parati, dispositique confugiunt. Nos interim, ut hoc Sacramentum in Dioecesibus nostris rite, recteque administretur, inviolabili lege servanda haec, quae sequuntur, statuimus.

II. Nullus omnino Saecularis, aut Regularis Sacerdos, qui vel non actu sit Parochus, vel Nostra non sit adprobatione, & facultate munitus, saecularium audeat Confessiones excipere (*c*), etiamsi confitentes sint Sacerdotes (*d*), aut de venialibus tantum, lethalibusve alias confessis fiat accusatio (*e*). Qui secus nefarie egerit, praeter gravissimam, quam incurret culpam, in excommunicationem ipso facto incidat Nobis reservatam (*f*), sicque impertita absolutio invalida erit, & nullius prorsus momenti (*g*). Animarum Rectores ordinaria potiuntur pro suo tantum grege absolvendi jurisdictione; quum tamen maxime expediat, ut eam in universa exerceant Dioecesi, id libentissime sanctione hac Nostra concedimus (*h*). Declaramus autem,

(*b*) Conc. Lateran. II. c. 22.

(*c*) Conc. Trid. sess. 23. de Ref c. 15.

(*d*) Prop. XIII. & XVI. inter damnat ab Alex VII.

(*e*) Decret. Innoc. XI. 12. Febr. 1679. Bened. XIV. Notif. 86. n. 8.

(*f*) Conc. Trid. loc. cit. Gregor. XV. Const. *Inscrutabili* 18 § 5. Clem. X. Const. *Superna* §. 1. Syn. Bajardi p. 2. c. 7. § *Nullus igitur*.

(*g*) Conc. Trid. sess. 14. c. 7. Const. cit. *Inscrutabili*, & *Superna*. Bened XIV. Const. *Apostolica indulta* 5. Aug. 1744.

(*h*) Bened. XIV. Notif. 86. n. 14.

nec ipsis, nec aliis quibuslibet Sacerdotibus factum intelligi facultatem audiendi Monialium, sive in Monasteriis degentium foeminarum confessiones, nisi expressam a Nobis, & specialem obtinuerint adprobationem, potestatemque (*i*), quod est aequo modo sentiendum de Sacerdotibus ordinarie alias, aut extraordinarie pro Monialium confessionibus deputatis, quibus suo munere functis, omnis illico cessat potestas.

III. Neminem ad confessiones excipiendas sine praevio diligenti examine adprobandum esse decernimus. Huic subjectos legi etiam Regulares futuros esse jam diximus (*k*), quos moderatorum suorum testimonio suffultos quoque esse oportebit. Sanctissima D. Caroli ad Confessarios monita, Constitutionem Gregorii XV. *contra sollicitantes* 30. Augusti 1622. (*l*), & alteram contra eosdem, & *contra complices* in inhonestis peccatis Benedicti XIV. 1. Junii 1741. quicumque ignoraverit, tanquam tanti ponderis ministerio minus idoneus rejicietur. Confessiones audiendi facultas aut ad sex menses, aut ad summum concedetur ad annum, & Nostro interim semper arbitrio devincta. Quilibet hanc obtinuerit, a casibus, & censuris Episcopo reservatis absolvere nefas sibi esse sciat, quidquid inter alia permulta absurda Novatores quidam malo omine aetate hac nostra somniaverint, nisi speciali praeditus fuerit Nostra, vel Vicarii Nostri Generalis delegatione; qua si destitutus temere audeat absolvere, ex clarissima Tridentini Concilii sententia (*m*), nullam omnino esse absolutionem credendum est, & ipse absolvens officiis omnibus, beneficiisque Ecclesiasticis ipso jure privatus, atque excommunicatione irretitus, non nisi a Romano Pontifi-

(*i*) Const. *Inscrutabili* suprad. & alibi passim.
(*k*) Vide sess. 2. tit. 9. n. 3.
(*l*) Encycl. Congreg. S. Officii 4. Maii 1737.
(*m*) Conc. Trid. sess. 14. de Sacram. Poenit. c. 7. & Can. 11.

ce hujusmodi consequi poterit poenarum relaxationem (*n*). Hic vero, ne quis unquam subrepat error, subdere juvat, ***habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Apostolicae Sedi reservatis, non ideo a casibus Episcopo reservatis absolvere posse*** (*o*). Nulla tamen mortis imminente periculo reservatio vim habet (*p*), imo quicumque eo casu Sacerdos, si nemo adsit ad Confessiones adprobatus, licite absolvendi facultate potitur.

IV. Praeter necessariam, de qua loquuti hactenus sumus, jurisdictionem, in Poenitentiae Sacramenti Ministro ***requiritur etiam bonitas, scientia, atque prudentia*** (*q*). Ac primo, quod attinet ad bonitatem, necesse profecto est, ut qui alios a vitiis avertere debet, & instituere ad virtutes, ***in omnibus sanctus sit, & in nullo reprehensibilis habeatur*** (*r*). Qui fiet enim, ut peccatorum pervadant animos Sacerdotis illius monita, quem peccatorem aeque esse constat? Aut quam sibi spondebit a Patre luminum gratiam, ut satis suo muneri faciat, qui Eum sciat habere adversarium? Caveant igitur ad excipiendas confessiones delecti, ***ne in quo alterum judicant, se ipsos condemnent*** (*s*). Medici se prius curent, suisque adhibeant remedia malis, quae aliis praeberent. Sibi itidem opportune dicant, quae poenitentibus dicerent, neque unquam in se ipsis probent, quae in illis reprehendere debent. Orationi in primis assidue instent, purique, atque integri, vitae integritatem, puritatemque proprio doceant exemplo. Haec de bonitate, quam praecipue spectabimus, cum de Confessario adprobando erit agendum, ne indigno committamus Dominici sanguinis

(*n*) Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 5. c. 5. n. 6. & seqq.
(*o*) Clem. X. cit. Const. *Superna*.
(*p*) Conc. Trid. sess. 14. de Sacram. Poenit. cit. c. 7.
(*q*) Rit. Rom. de Sacram. Poenit. §. *Sanctum*.
(*r*) S. Isidor. Hispal. de Offic. Sac. l. 2.
(*s*) Rom. 2. 3.

dispensationem. Huic vero & scientiam oportet esse arcto foedere junctam, neque enim infirmis mederi poterit, qui remedia nescit, aut morbos, neque in reos justam ferre sententiam, qui jura ignorat. Certum est sane ex infallibili Redemptoris oraculo, *quod si caecus caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadent* (t). Ne igitur errandi sese periculo exponant, neve alios imperitia sua in errorem inducant Confessarii, Moralem saltem calleant Theologiam; Cumque nihil facilius, quam ut bene quondam percepta memoria excidant, aliquam in dies singulos operam sacris dare studiis non praetermittant; Eos enim revocare ad examen, ut integrum Nobis est, non dubitabimus, si desides, atque otiosos esse deprehenderimus. Prudentia tandem in tam gravi hoc ministerio adeo necessaria est, ut sine ipsa vix, ac ne vix quidem caeterae prodesse possint virtutes. Hinc sive peccata exquirant, sive arguant peccatores, sive monita dent, & consilia, sive irrogent poenas, metiri omnia prudentiae regulis satagant. Ad prudentiam pariter spectat, ut in difficilioribus casibus suo nimis ne fidant judicio, neque a poenitentibus quascumque suas probari opiniones contendant. Quapropter non solum nunquam prohibeant, verum auctores ipsimet sint, ut alios adeant, & consulant Confessarios. Prudenter etiam laxitatem vitent, ac nimiam severitatem. Meminerint *claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas* (u), & ipsam monere experientiam, quod *facilitas veniae incentivum tribuit delinquenti* (x). Ob oculos tamen habeant *melius esse propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem, nec ubi Pater familias largus est, dispensatorem debere esse tenacem* (y): cum-

(t) Matth. 15. 14.
(u) Conc. Trid. de Poenit. sess. 14. cap. 8.
(x) D. Ambros. Serm. 8. in Psalm. 118.
(y) D. Chrysost., seu Auctor. Oper. imperfect. Hom. 43. in Matth.

que Filius ipse Dei testatus sit, se in hunc mundum venisse *non ut justos vocaret*, *sed peccatores* (z), sine personarum acceptatione hos omnes excipiant, & praecipue, si pauperes sint, paterna semper charitate complectantur. Nimiam tamen ne charitatem ostendant devotis mulierculis, neque cum iis plus aequo sint frequentiores, neque familiarius agant; ex diuturno enim colloquio ipsis periculum, populo scandalum, Sacramento irreverentia provenire facile possent.

V. Constitutiones contra sollicitantes jam memoravimus. Iis inhaerentes, Confessarios omnes monemus, ne Poenitentes audeant absolutione donare, qui Sacerdotes sollicitantes Ordinario denuntiare neglexerint, quin prius Pontificis integre paruerint mandatis. Qui vero scelesto ausu sollicitationis criminis Sacerdotem falso incusaverit, a nemine poterit, nisi a Romano Pontifice absolvi (*aa*). Complicis peccati contra sextum Decalogi praeceptum Confessionem excipere cuicumque vetitum est Sacerdoti sub excommunicationis latae sententiae poena Sedi Apostolicae reservata. Porro nulla foret Complici facta confessio, & irrita semper, praeterquam instante morte, absolutio (*bb*). Hic vero Confessarios meminisse volumus esse districte interdictum, quacumque ex caussa a poenitente peccati socium exquirere (*cc*), & eos, qui aliter egerint, gravissimo puniendos esse judicio (*dd*). Caute igitur omnino cum suis poenitentibus agant. Solerter investigent, an sciant, quae de necessitate sunt medii, & an corde doleant de Dei offensa, teneantque de caetero non peccandi propositum. Nulla dantes signa doloris; foventes odia, si-

(z) Matth. 9 13.
(*aa*) Bened. XIV. Const. *Sacramentum Poenitentiae* 1. Junii 1741.
(*bb*) Const. cit. §. *Meminerint*.
(*cc*) Bened XIV. Const *Ubi primum* 2. Junii 1746.
(*dd*) Const. cit. §. *Quod si*.

multatesque; alienas res restituere, cum possint, nolentes; renuentes integram reddere proximi, cui detraxerunt, famam; consuetudinarios, recidivos, eosque potissimum, qui proximam peccandi occasionem deserere, & abdicare recusant, minime absolvant, nisi mediis adhibitis omnibus, quibus in prudentem emendationis spem veniant: Juvenes quoque amasios, homines vino deditos, fucatas foeminas, pectusque, & brachia nudatas, caveant, ne magis ligent absolutione, quam solvant. Arguendi, obsecrandi, increpandi carpant opportunam ex ipsa culparum gravitate, & frequentia occasionem, praesertim vero majori, qua poterunt, diligentia, efficacitate, ac vi ad peccatorum detestationem, sinceramque, atque intimam cordis contritionem poenitentes suos excitare contendant, summam, ac plane infinitam memorantes Dei bonitatem, acerbissimamque Christi passionem, quae si apto commovendis animis sermone eis exponatur, vix fieri potest, ut a lacrymis temperent.

VI. *Confessione absoluta, salutarem, & convenientem satisfactionem, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, Sacerdos injungat, habita ratione status, conditionis, sexus, aetatis, & item dispositionis poenitentis* (ee). Cum autem aliquam inter poenam, & culpam intercedere necesse sit proportionem, violatae se faceret justitiae reum, qui graves poenas pro levibus culpis, aut pro culpis gravibus minimas poenitentias injungeret. Ex antiquorum Canonum poenitentialium lectione, quam commendatam Confessariis omnibus volumus, facile ipsi intelligent, quantum nostra hac aetate veteri suae temperavit Ecclesia severitati. Haud tamen credendum est, praesentem ita se habere misericordiam, ut vel poenitentibus, vel Confessariis liberum sit justitiae jura negligere. Stat Redemptoris sententia, quam peccatoribus saepe

(ee) Rit. Rom. Ordo Ministr. Sacram. Poenit. §. *Postremo.*

juvabit repetere, *si poenitentiam non egeritis*, *omnes similiter peribitis* (*ff*). Eos igitur hortentur, ut majorem Ecclesiae charitatem majori rependant animi afflictatione, ac moerore, salutaresque impositas sibi poenas non modo refugere nunquam conentur, sed suis impares esse culpis existimantes, illas in spiritu humilitatis suscipiant, atque exactissime exsolvant. Caveant tamen omnino, ne, si eleemosynas ad redimenda peccata praeceperint, eas sibi vertant in lucrum, imo neque, si celebrationem jubeant Missarum, ipsas celebrandas assumant. Et verbis igitur, & factis juxta D. Caroli monitum (*gg*) a muneribus se abstinere demonstrent, nec alia quaerere lucra, nisi Animarum. Hinc temporalibus poenitentium nunquam se immisceant negociis, neque etiam rogati ad restitutiones pro ipsis faciendas, animum facile inducant. Quod si legitima id fecerint caussa impellente, accepti syngrapham ab eo, cui traditur, exigant, qua de restitutione constet, & certior poenitens efficiatur. Ubi vero, cui fieri restitutio debeat, incertum sit; si summa decem excedat julios, nihil Confessarii disponant, nisi re ad Nos delata, ut, quid agendum sit, constituamus (*hh*).

VII In Confessionali Sede patenti, conspicuoque Ecclesiae loco exposita, quantum fieri potest, Confessiones excipiantur. Confitentes foeminas, puerosque nondum decimum septimum attingentes annum, qui alibi aut nocturno tempore, aut antelucano, praeter aegritudinis, & necessitatis casum, audiverint, Confessarii munere ipso sint jure interdicti. Amplae sint Sedes hinc inde, sursumque, & deorsum ita compactae, ut ex anteriori solum apertae sint parte. Mediam hanc ostium claudat, quod non inu-

(*ff*) Luc. 13. 5.
(*gg*) Act. Mediolan. p. 4. Instruct. ad Confessar.
(*hh*) Syn. Plurimae ita praescribunt.

tile esset sera munire, ne profanae Sessionis deserviat usui. Binae ad latera pateant parvae fenestrae ferreis obstructae laminis firmiter tabulae insertis, ac minutissime perforatis, quae valvulas interius habeant versatiles pro Confessarii arbitrio occludendas facile, vel aperiendas. Crux supra sedes promineat; intus tabulae affixae sint Casuum Summo Romano Pontifici, & Episcopo reservatorum, extra & in poenitentium conspectu supra scabellum, ubi hi genuflectere solent, Christi e Cruce pendentis Imagines. Talari veste, superpelliceo, colorisque violacei induti Stola, ac proprio tecti Bireto Sacerdotes Saeculares assideant (*ii*), Regulares vero sui Ordinis, quo Chorum adeunt, habitu amicti, Stola tamen semper superimposita (*kk*). Id ipsum quoad Monialium Confessarios praescribimus, eruntque arbitrariis obnoxii poenis, qui sese aliter gesserint. Nunquam, nisi praemissa ad Deum oratione, ad ministrandum hoc Sacramentum Sacerdotes accedant: Nunquam, nisi eo consilio, ut animas a Doemonis servitute ad filiorum Dei libertatem deducant. Praesto sint semper, quoties vocantur, praesertim vero si ad auscultandas infirmorum Confessiones vocentur. Talarem habeant hoc quoque in casu, ut alibi dictum est (*ll*), vestem, atque etiam, si fieri commode possit, Stolam. Ægrotantes dum audiunt foeminas, pateat cubiculi porta, ut videri a domesticis possint, non tamen audiri. Quod si Confessionis ab infirmo exceptae reddere testimonium omiserint, a Confessionibus audiendis illico sint suspensi (*mm*).

VIII. Curent Animarum Rectores, ut pueri omnes, cum ad rationis pervenerint usum, sua confitean-

(*ii*) Rit. Rom. de Sacram. Poenit. §. *Sacerdos*. Act. Mediol. Conc. Prov. V. Quae ad Sacram. Poenit. pertinent.

(*kk*) Barufald. de Sacram. Poenit. tit. 18. §. 4.

(*ll*) Vid. sess. 3. tit. 1. n. 3.....

(*mm*) Syn. Fabretti c. 10. Syn. Bajardi p. 2. c. 7.

tur peccata; ab eo enim tempore Confessionis lege adstringuntur (*nn*). Fidelibus caeteris Ecclesiae indictum est praecepto, ut quotannis saltem confiteantur (*oo*). Quoties vero aut periculum imminet mortis, aut aliqua tractanda res est, quam ab homine peccatis contaminato tractari non deceat, veluti cum Sacramenta aut administrantur, aut percipiuntur, toties praetermittenda non est Confessio, idemque servandum est, si, culpae alicujus ne cadat oblivio, timeatur (*pp*). Docendi tamen christiani populi sunt, nullam sibi rem adeo curae esse debere, quam ut frequenti peccatorum Confessione Animam studeant expiare, inde enim & admissorum veniam, &, ne in alia prolabantur, virtutem consequi poterunt. Haec suis assidue innuant poenitentibus Confessarii, qui cum sedulam in omnibus, quae hactenus diximus, diligentiam adhibere, tum inviolabile debent silentium in custodienda arcani fide servare. Sane gravissime in eos Sacerdotes animadverti Canonicae Leges voluerunt, qui sibi in Sacramentali judicio credita revelare quoquo modo auderent (*qq*). Quamobrem non modo a quovis sermone de rebus in Poenitentiali Foro intellectis Confessarii extra Confessionem abstineant, sed intra eandem nec capite, nec manibus, pedibusve, nec voce elatiori signa dent ulla, quae circumstantibus admirationi esse possint, & sacri inferre violandi sigilli periculum. Ipsa quoque absolutionis verba submissa ita voce pronuntient, ut, si vel eam differri contigerit, vel negari, nulla cuique suspicio injiciatur. Seriem hanc totam Nostrarum pro recta Poenitentiae administratione Sanctionum, Divi

---

(*nn*) Conc. Later. de Poenit. & Remiss. Can. *Omnis utriusque Sexus*.

(*oo*) Cit. Can. *Omnis &c.*

(*pp*) Cathec. Rom. de Sacram. Poenit. n. 45.

(*qq*) Cit. Cap. *Omnis utriusque &c.*, & Cap. *Sacerdos* de Poenit. dist. 6.

Gregorii Magni sententia concludimus, quam Confessarius unusquisque ut mature perpendat, optamus. *Tunc Sacerdos irreprehensibiliter graditur cum exempla Patrum praecedentium indesinenter intuetur, cum Sanctorum vestigia sine cessatione considerat* (rr).

TITULUS VIII.

De Casibus Reservatis.

I. Quum ad Christiani populi disciplinam magnopere pertinere Sanctissimis Patribus Nostris visum sit, ut graviora quaedam, & atrociora delicta non a quibusvis, sed a Summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur (*a*), unde Fideles absolutionis difficultate perterriti, & magis illa exhorrescerent, & cautius evitarent; antiquum, laudabilemque sequuti morem Praedecessores Nostri, peccata quaedam, quasdamque Censuras Synodali Decreto ita suo reservarunt judicio, ut nemini ex Sacerdotibus sine peculiari Episcopi facultate ab iis relaxare liceret. Illorum & Nos inhaerentes vestigiis cathalogum hic subteximus Casuum Nobis reservatorum, a quibus, excepto mortis articulo, nulli Confessario Saeculari, aut Regulari, adprobato, aut adprobando absolvendi potestas erit, nisi fuerit a Nobis expresse, specialiterque delegata. Declaramus autem nullam in pueros, masculos nempe, qui nondum decimum quartum, foeminas, quae nondum duodecimum expleverint annum, cadere reservationem, quinto solum excepto posterioris ordinis casu (*b*), Sacerdotesque omnes speciali illa, quam diximus, facultate donatos, quantum possumus, monemus in Domino, ut ea in aedificationem, non in

(*rr*) D. Greg. Magn. Past. p. 2. c. 2.
(*a*) Conc. Trid. sess. 14. c. 7 de Sacram. Poenit.
(*b*) Syn. Bajardi p. 2. c. 7. de Cas. reservat.

destructionem utantur; valde enim timendum est, ne peccatores, si facile a gravioribus quibusdam criminibus absolvantur, rursus in eadem ruere non pertimescant.

TABULA PRIMA.

Casuum nempe, quibus adnexa est excommunicationis poena ipso facto incurrenda.

1. Sortilegia cum abusu Sacramentorum, vel Sacramentalium, ac superstitio cum expressa Doemonis invocatione.
2. Suffocatio Pueri in lecto retenti sine repagulo.
3. Obscoenitas, vel inhonesta locutio cum Sacris Virginibus, & aliis foeminis in Monasterio degentibus, litterarumque amatoriarum ad ipsas scriptio, missio, vel delatio.
4. Adhibitio operae, opis, sive consilii ad faciendum abortum foetus animati, vel inanimati, etiamsi conatus effectu careat.
5. Retentio, & occultatio Scripturarum, atque occupatio bonorum, ac jurium ad Ecclesias, vel Pia Loca spectantium.
6. Testis in quavis Fori caussa ad jusjurandum emittendum in judicio adactus, prudens, sciensque verum reticens, aut falsum enuntians, idque fieri consulentes, vel mandantes.
7. Litterae ementito, aut suppresso nomine quidquam vel contumeliosi, vel calumniosi continentes ad Superiorem, vel ad quemvis alium datae, earumdemque compositio, scriptio, missio, ac delatio; itemque *Libelli famosi*, eorumque compositio, scriptio, delatio, atque affixio.

TABULA SECUNDA.

Casuum scilicet reservatorum sine excommunicatione.

1. Blasphaemia in Deum, B. Virginem Deiparam, & Sanctos ex prava consuetudine.
2. Lenocinium Viri in uxorem, & Parentum in Filios.
3. Incestus in primo, & secundo gradu consanguinitatis, & in primo affinitatis: copula item carnalis inter spirituali cognatione conjunctos.
4. Stuprum Virgini vi, metu, seu promissione Matrimonii, vel Dotis illatum.
5. Sodomia cum humana specie, atque coitio cum brutis animalibus utriusque sexus.
6. Injuriosa etiamsi levis in Patrem, & Matrem injectio manuum, vel impia percussio.
7. Retentio Infantis in lecto ante expletum primum aetatis annum sine repagulo, aliove instrumento, quo suffocatio impediri possit.
8. Homicidium voluntarium.
9. Omissio mittendi filios, filiasque, ac alios, quorum curam gesserint, vel quibus praeerint, ad discendam Christianam Doctrinam diebus festis, si ad duos integros menses, necessitate non excusante, fuerit continuata.
10. Negligentia in adimplendis Legatis, aliisque piis Testatorum voluntatibus post sex menses a tempore in Testamentis, vel Codicillis, Instrumentis, vel aliis id genus monumentis praescripto, ac Notariorum post mensem in Urbe, & duos in Dioecesi Nobis non denuntiantium pias Testatorum voluntates, ad quas ipsi in publicas Tabulas referendas fuerunt adhibiti.

Absolvendi facultatem a Casibus in prima supradicta Tabula descriptis, quibus adnexa est etiam Excommunicationis poena ipso jure incurrenda, ita

Nobis reservamus, ut cuicumque Confessario sit omnino adempta, quamvis alias sive a Praedecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis concessa fuerit. Pro Casibus vero in secunda Tabula expressis absolvendi semper, & quandocumque potestatem facimus in Civitate Canonico Ecclesiae Nostrae Cathedralis Poenitentiario, in Dioecesi Vicariis Nostris Foraneis. Item Parochis omnibus tam Civitatis, quam Dioecesis eadem erit facultas a die Festo S. Thomae 21. Decembris, usque ad totum diem Epiphaniae, & a Palmarum Dominica usque ad Dominicam in Albis, idque licet Confessione reservatorum intra id tempus incoepta, absolutio ob justam caussam extra illud differatur.

TITULUS IX.

De Sacramento Extremae Unctionis.

I. Quamquam inter tot, ac tanta, quibus undique premimur, mala quotidiano indigeamus Dei O. M. auxilio, certum tamen est, nullo unquam tempore illud magis esse Christiano homini necessarium, quam cum impendente jam morte, viribus destitutus, atque animo fractus, extremam cum antiquo humani generis hoste luctam est initurus. Opportunitatem misericordiae suae noluit in tanto periculo desiderari clementissimus Redemptor noster, & ideo Sanctae Unctionis Sacramentum instituit, quo ex hac exeuntibus vita, & inter mortis angustias solamen, & in aspero, difficillimoque certamine spes afferretur (*a*). Maximae igitur, atque immortales pro tam excellenti beneficio habendae ei sunt gratiae, indeque a Parochis hortandi fideles, ut, si infirmentur, sentiantque sibi mortem instare, hoc statim cupiant

(*a*) Cathec. Rom. de Extrem. Unct. n. 14.

Sacramento muniri, illudque sponte sua exposcant. Verum docendi aeque sunt, Sacramenti ejusdem virtute, praeter illa, quae memoravimus beneficia, Venialia etiam peccata remitti, salutemque Corporis, si quidem Animae sit profutura conferri (*b*). Quae sane juvabit frequenter exponere, tum ut impius destruatur quorumdam error, qui actum esse credunt de Ægrotantium vita, si Sacro fuerint Oleo peruncti, tum ut probe intelligant omnes, non posse sine reatu Sacramentum hoc negligi, aut praetermitti (*c*).

II. Caveant Animarum Rectores, ne quis ipsorum creditus curae decedat Extrema non munitus Unctione, graves enim Nobis negligentiae suae daturi essent poenas, gravissimas Deo. Haud tamen vel nimis festini, ut sese citius expediant, aliquem praepropere inungant, vel nimis tardi semimortuo Sacramentum ministrent. Sane in mortis periculo constituti Sancto liniendi sunt Oleo, sed, quantum fieri potest, & quidem sub gravi culpa (*d*), cum adhuc Ægroti sunt integra mente, ut piis se possint affectibus comparare, & uberiorem Sacramenti gratiam consequantur. Praelium inituris, periculosam ingressuris navigationem, damnatis ad mortem, cum non aegrotent, Sacra deneganda est Unctio; non autem senio confectis, cum eos ad mortem accedere probabile est, nec Pueris, postquam ad rationis usum pervenerint. Amentes, non tamen, qui a nativitate sunt tales (*e*), & subito correpti morbo, quamvis sensibus destituti, salutari hoc praesidio sunt aeque muniendi, atque hi quidem, dummodo prius illud petierint, aut ex anteactae vitae ratione petituros fuisse, prudenter

Y

(*b*) Conc. Trid. Sess. 14. c. 2.

(*c*) Bened. XIV. de Syn. Dioeces. lib. 8. c. 7. n 4.

(*d*) Rit. Rom. de Sacram. Extrem. Unct. §. 1. Cathec. Rom. loc. cit. n. 9.

(*e*) Act. Mediolan. p. 4. in Instruct. Extrem. Unct.

conjiciatur (*f*). Eadem cum coecis, mutis, surdis, mutilatisque habenda est ratio, eos enim, si non sensibus, quibus carent, voluntate tamen, ac desiderio peccare potuisse exploratum est. Excommunicatis, interdictis, publicis peccatoribus, illisque omnibus aliis, quos ab Eucharistica Mensa arcendos esse declaravimus, Extremae etiam Unctionis denegandum est Sacramentum.

III. Oleum ab Episcopo benedictum hujus esse Sacramenti materiam, satis omnibus compertum est. Lege tamen ab Ecclesia lata singulis annis est renovandum (*g*), nec vetere fas est amplius uti (*h*), nec nisi a Nobis Feria V. in *Coena Domini* benedicto (*i*); qua quidem die ad benedictionem, sub unius aurei poena, universi convenient de more Parochi, Sacerdotesque. Vetus Oleum aut consumendum in lampade ante Sanctissimum Sacramentum ardente, aut in gossypio imbibitum comburendum esse, & projiciendos in Sacrarium cineres meminerint, qui illius asservandi jus habent. Novum in argenteo Vase intus deaurato, insistente desuper Cruce, condatur apte gossypio opertum. Vas lignea Capsula claudat, quam sericus sacculus longioribus instructus funiculis commode includere debet. In armariolo pariete Capellae Majoris ad Evangelii cornu excavato custodiatur, quod decenter intus ornatum appareat violacei pariter coloris integumento. Foris autem inscriptio legatur *Oleum Infirmorum*. Armarii praedicti ostiolum sera, & clavi firmetur, quam Parochus quisque, & Ecclesiae Rector diligenter retineat, nec alteri cuique tradat extra casum necessitatis, tuncque non foemi-

(*f*) Rit. Rom. loc. cit. Bened. XIV. de Syn. Dioec. lib. 8. c. 7. act. Mediol. sup. cit.

(*g*) Cap. *Litteris* de Consecr. Dist. 3.

(*h*) Cap. *Si quis* de Consecr Dist. 4.

(*i*) Cap. *Presbyteri* 123. ibid. Clemens VIII. Const. *Exponi Nobis* 57.

nae, aut Laico, sed Clerico tantum, &, si fieri potest, in Sacris Ordinibus constituto.

IV. Cum hoc Sacramentum erit ministrandum, Confessione, & Communione, si tempus, & conditio permittat, praemuniatur Infirmus (*k*). Parochus Clerico comitante, qui Ritualem Librum, Crucem sine hasta, & Aquam benedictam cum Aspersorio deferat, Vas cum sacro Oleo vel in manibus, vel funiculis ad collum alligatis ante pectus appensum in suo sacculo reverenter portabit. Infirmi domum ingressus, Vase super Mensam candida mappa coopertam deposito, talarem vestem, si non habuerit, induet, ac insuper superpelliceum, & stolam; mox breviter hujus Sacramenti declaratis effectibus, eoque ad peccatorum dolorem, atque ad fiduciam Divinae Misericordiae per Jesu Christi Passionem, & Mortem excitato, sanctam incipiet Unctionem, quam intimo religionis, pietatisque sensu prosequetur, atque perficiet, omnibus adamussim servatis legibus, ac coeremoniis a Romano Rituali praescriptis, a quo opportunam, tutamque, quolibet occurrente casu, agendi normam semper accipiet. Sacramenti administratione absoluta, nec per brevissimum temporis spatium Vas cum sacro Oleo, absente se, linquat; non enim privata unquam in domo, ne Parochiali quidem, sed in Ecclesia, ut dictum jam fuit, continenter est asservandum (*l*). Cum autem iterari Sacramentum hoc possit, si infirmus mortem evaserit, ac dein novo correptus morbo in novum inciderit vitae discrimen, Sancto erit Oleo iterum proculdubio inungendus. Caveant tamen sub poena suspensionis (*m*) Sacerdotes universi Saeculares, ne praeter subitam, certamque necessitatem, quod ju-

(*k*) Rit. Rom. de Sacram. Extrem. Unct. § *In quo illud*.

(*l*) Act. Mediol. Conc. Prov. 3. quae ad Sacram. pertinent. § *Sancti*, & §. *Sacrum*, & Conc. 4. quae pert. ad Extrem. Unct. §. *Quibus*.

(*m*) Syn. Bajardi de Sacram. Extrem. Unct.

ris est Parochialis, hoc sibi arrogent munus. Regulares vero meminerint, quae sess. 2. tit. 9. num. 4. diximus, eos videlicet invito Parocho extremam ministrantes Unctionem, ex Pontificio jure excommunicatione S. Sedi reservata ipso facto innodari.

V. In perniciosum profecto raperentur errorem Animarum Rectores, qui Unctione Extrema collata suo jam se officio perfunctos existimarent. Maximum enim adhuc superest, & gravissimi ponderis opus, ut scilicet infirmum in illo praesertim momento, a quo pendet aeternitas, hortationibus suis, precibusque ab Ecclesia statutis viribus totis juvare studeant. Id igitur sibi persuadeant strictissimo ab ipsis reposci jure, ne culpa, vel potius crudelitate sua, quos Supremus Pater familias custodiendos dedit, perdant ex eis quemquam (*n*). Quare ipsos per Jesu Christi viscera, perque Sacratissimum ejus Sanguinem Ecclesiastici verbis monemus, *ne pigeat visitare jam jam morientem infirmum* (*o*), atque *illum in exitu spiritus sui consolari* (*p*). Conatibus *Doemonis habentis iram magnam, & scientis, quod modicum tempus habet* (*q*), suos omnes opponant conatus, & usque ad ultimum anhelitum finienti vitam hortatores adsint, adjutoresque. Patientiam in primis ei suadeant, conformationemque propriae voluntatis voluntati Divinae, animum deinde addant, & in spem erigant aeternae gloriae. Suavissima Jesu, ac Mariae Nomina saepissime iterent ipsi, atque a moriente vel ore, vel corde iteranda saepissime curent: nec Crucifixi Imaginem tanquam certam veniae arrham, & fidissimum salutis portum frequenter ei in conspectu offerre, osculandamque praebere cessent. Nulli denique sollicitudini, labori, incommodo parcant, ut Creatori, ac Redem-

(*n*) Joann. 18 9.
(*o*) Eccl. 7. 39.
(*p*) Ibid 38. 24.
(*q*) Apocal. 12. 12.

ptori suo animam reddant, a Misericordiarum Patre aeternam consecuturi retributionem, si ipsorum opera *Creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae Filiorum Dei* (*r*).

TITULUS X.

De Ordinis Sacramento.

I. Quanta sit Sacramenti Ordinis dignitas, atque excellentia, facile quisque perspiciet, qui caetera omnia Sacramenta considerarit ab illo ita pendere, ut sine ipso partim confici, & administrari nullo modo queant, partim solemni coeremonia, & religioso quodam ritu, ac cultu carere videantur (*a*). Hinc vero divino prorsus judicio impositum Nobis esse onus sentimus, ut neminem ad Sacros Ordines temere admittamus, sed eos tantum, qui vocati a Deo tanquam Aaron (*b*) illos vitae sanctitate, doctrina, fide, prudentia sustinere merito possint (*c*). *Si enim*, ut D. Leo Magnus inquiebat (*d*), *ad honores mundi sine suffragio temporis, sine merito laboris indignum est pervenire, & notari ambitus solent, quos probitatis documenta non adjuvant, quam diligens, & quam prudens habenda est dispensatio divinorum munerum, & coelestium dignitatum?* Haec serio reputantes Nobiscum, ne contra Apostoli praeceptum cito manus imponamus cuiquam (*e*), cujus sane periculi timore, ac tremore percellimur maximo, cum undequaque videantur accurrere, qui expostulant Ordines, non ut Deo fidelius inserviant, sed ut commodius, atque e-

(*r*) Rom. 8. 21.
(*a*) Cath. Rom. de Sacram. Ord. n. 1.
(*b*) Haebr. 5. 4.
(*c*) Cath. Rom. loc. cit. n. 3.
(*d*) D. Leo M. Epist. 85. al. 87. ad Episcop. Afric.
(*e*) 1. Timoth. 3. 22.

tiam otiosius vivant, unde non per ostium intrare, sed aliunde in Ecclesiam moliuntur irrumpere, qua in tanti momenti negocio methodo, ac ratione agendum imposterum erit, sequentibus statuere legibus decrevimus.

II. Vulgato habendae Ordinationis Edicto, qui sive ad primam initiari Tonsuram, sive promoveri ad Ordines vel Minores, vel Sacros cupient, supplici porrecto libello, cui testimonia erunt adjuncta juxta instructionem in Appendice inserendam (*f*), ad publicum admitti examen statuta die postulabunt, votique compotes facti libellum ipsum manu Nostra signatum Cancellario tradent, tum ut sua referantur in Examinandorum cathalogum nomina, tum ut testimonia singula discutiantur (*g*). Atque hic sane temperare nequimus, quin illorum omnium, quorum testimonio, qui ad Ordines suscipiendos contendunt, suffulti esse debent, fidem, religionemque obtestemur, ut nulla carni, aut sanguini, nulla gratiae, amicitiaeque ratione habita, sincera libertate Nobis veritatem aperiant. Id a Parochis praesertim, atque a Vicariis Nostris Foraneis exposcimus, quos neque a personarum studio, neque ab iniqua quadam pietate in eum adduci posse errorem confidimus, ut Spiritui Sancto, & Nobis mentiri velint. Sciant tamen nec muneri suo, nec desiderio Nostro satis esse facturos, si ad Ordines assumendos tantum bene audire testentur. Quae singulorum ingenii acies, quae docilitas indolis, quae gravitas morum, quis tandem ad disciplinam Ecclesiae tenendam sit animus, ut diligentissime inquirant, volumus, utque ad Nos fideliter deferant (*h*). Hinc de Sacramentorum frequentia, de

(*f*) Vide Append. num. XVIII.

(*g*) Syn. Anconit. 1779. p. 2. t. 7. §. *Lato*. Syn. Ferrarien. 1781. p. 2. c. 9. n. 4.

(*h*) Conc. Trid. sess. 23. de Reform. c. 5.

praestito Ecclesiae servitio, de tradita pueris christiana doctrina, deque Synodalium Sanctionum, quae Clericorum vitam, honestatemque respiciunt, observantia certiores Nos reddent, quemadmodum etiam de opera studiis assidue data, atque in iis progressu, cujus tamen in singulas vices judicium a Praeceptoribus potissimum expectabimus. Quod si, cum veritas odium pariat, minus favens publice edere testimonium vereantur, quae publica sunt, publico testentur scripto, privatim autem vel coram, vel litteris suis, quid sentiant, fidenter Nobis exponant (*i*) pro certo habentes, & id fore Nobis, Deoque gratissimum, & arcani fidem, quam pollicemur, integram perpetuo mansuram.

III. Adventante examinis die, quod quidem coram Nobis semper habebitur, aliquot adscitis Examinatoribus Nostris, tempestive omnes conveniant admissi, ut precationem de more una Nobiscum praemittant, & opportunam a Patre luminum in re tam gravi efflagitent gratiam. Nemo ad primam clericalem Tonsuram initiandus accedat, qui obtenta prius a Nobis venia, jam per sex menses clericalem non induerit vestem, nec injunctum praestiterit Ecclesiae servitium. Nemo ad Ordines praesertim Sacros, qui actu in aliquo ex Seminariis Nostris non commoretur, nisi aliud Nobis in Domino pro opportunitate locorum, ac temporum magis expedire videatur (*k*). Tonsurandi, praeter Fidei doctrinam, & legere currenti lingua, & currenti calamo scribere sciant: si vero grandiusculi sint, periculum quoque facient peritiae suae in primis Grammatices elementis: Assumendi ad minores Ordines latinam callere linguam experimento probabunt, sique aetas id feret, Rethoricae

(*i*) Syn. Viterb 1762. t. 2. c. 4. n. 19. Syn. Tusculan. 1763. p. 3. c. 25. Syn. Anconit. 1779. loc. cit. Syn. Ferrarien. 1781. loc. cit. n. 6.

(*k*) Syn. Anconit. cit. Aliaeque plures.

etiam, ac Logicae specimen aliquod exhibebunt: Ad Sacros denique Ordines inaugurandi, tum ad Logicae ejusdem disciplinam, tum ad Moralis, aut Dogmaticae Theologiae studia sedulo incubuisse monstrabunt. Exigemus tamen ab omnibus, ut Ordinis, quem petierint, naturam, rationem, finem, effectus, ritusque explicent, atque obligationes singillatim enumerent. Examinis exitus de conferendis Ordinibus dijudicabit. Haerentes in responsionibus, & inscientiae suae sub timoris specie indicia dantes, nullo habito ad testimoniales quascumque delatas litteras respectu, reprobandos esse pro certo putent, & a Sacra Ordinatione pro ea saltem vice omnino repellendos.

IV. Ab Examinatoribus, quorum sicut deferre plurimum consilio volumus, ita incorruptam reposcimus sinceritatem, qui concordi fuerint adprobati suffragio, caeterisque omnibus conditionibus rite muniti, libentissime a Nobis indicto tempore promovebuntur: Verum per decem ante continuos dies in Religiosa aliqua domo a Nobis designanda spiritualibus vacare debebunt, ut ajunt, exercitationibus (*l*), quas ita praescribimus, ut ad Sacros Ordines ascensuris, nunquam, nisi iis expletis, domum permittantur redire. Eos autem in Domino, ac per Redemptoris Nostri Passionem hortamur, ut in Sancta solitudine positi Deum audiant sibi loquentem, & bonam ostendentem viam, per quam ambulent. Atque utinam frequentiori orationis praesertim mentalis usu ita *resuscitent gratiam, quae in ipsis est per impositionem manuum nostrarum* (*m*), ut a saeculi affectu se abduci sentiant, & Sancti Spiritus igne succendi! Hoc Nobis in votis est, hoc Ecclesiae, quae in hunc praecipue finem Sacrarum Ordinationum temporibus

(*l*) Litter. Encycl. S. Cong. Episcoporum 9. Octobr. 1682 & S. C. C. 1. Febr. 1710.

(*m*) 2. Timoth. 1. 6.

jejunia sua, suasque preces Deo offert. Quare illud firme constituant Spirituales obeundo exercitationes propositum, ut, quam ingressi sunt, Clericalis militiae viam, inoffenso semper decurrant pede, *quatenus nec Nos de eorum provectione, nec ipsi de tanti officii susceptione damnari a Domino, sed remunerari potius mereamur* (*n*).

V. Etsi qui propius accedere ad Sacra Mysteria contendunt, censum praecipue debeant habere virtutum; ne tamen victum sibi mendicare cogantur, vel sordidis, ac vetitis artibus comparare, a Sacris juribus cautum opportune jam fuit, ut nemo ad Subdiaconatus Ordinem promoveatur, qui titulum non habeat honeste sibi alendo sufficientem (*o*). Canonicus hic titulus beneficium erit Ecclesiasticum, cujus tamen loco, si Ecclesiae necessitas, aut etiam utilitas postulaverit, patrimonium admittere non ambigemus (*p*). Porro cujuscumque generis fuerit, juxta Synodales Praedecessorum Nostrorum Sanctiones (*q*), titulus ille sufficiens tantummodo judicabitur, ex quo annui reditus scuta ad minus viginti quatuor monetae Romanae percipiantur, quod quidem per acta Curiae Nostrae constare debebit, quemadmodum & pacifica ejusdem possessio. Quod ad Patrimonium attinet, nec in propriae habitationis domo, nec in bonis mobilibus, aut semoventibus constitui permittimus, sed in immobilibus tantum, atque fructiferis non alieno aere gravatis, non hypotecae obnoxiis, non litigiosis. Quod si a Patre constituatur, cavendum insuper erit, ne suis fraudetur ille alimentis, aut debitae caeteris filiis, ac filiabus partes ab uno

(*n*) Pontif. Rom. in Ordinat. Presbyter.
(*o*) Conc. Trid. sess. 22. de Reform. c. 2.
(*p*) Conc. Trid. loc. cit. Bened. XIV. Notif. 26. n. 9.
(*q*) Syn. Fabretti c. 12. §. *Quoniam* Syn. Bajardi p. 2. c. 9. de Promov. ad Ord. Sacr.

Clerico absorbeantur (*r*). Pecunias ad Pianae Constitutionis normam foenori datas, immobilibus deficientibus bonis, a patrimoniali titulo minime excludimus; ea tamen tenenda lex erit, ut, si redimantur, intra tres dies, Suspensionis indicta aliter poena, in Sacra pietatis Æde, aut penes Depositarium a Nobis deputatum, deponi debeant, donec iterum ponantur in foenus (*s*). Capellaniam, seu Officiaturam sua natura amovibilem Ecclesiae necessitate, aut commoditate suadente pro Ordinationis titulo ratam habebimus, dummodo qui nominandi jus habet, auctoritate Nostra accedente solemniter spondeat, Clericum a se nominatum, quoad vixerit, vel de congruo beneficio fuerit aliunde provisus, nunquam amotum iri, atque insuper certa accedat alterius fideijussio de alimentis Ordinato praestandis, si a Missa celebranda impediatur (*t*).

VI. Patrimoniorum constitutiones ab extraneis christianae charitatis titulo factas, nolumus suspectas habere. Haud tamen admittendas esse decernimus, nisi tam constituens, quam Ordinandus in Actis Curiae Nostrae jurejurando affirment, nullum subesse dolum, fraudem, confidentiam, collusionem, tacitamque pactionem, & Patrimonii fructus integre omnino favore Ordinandi fore cessuros. Qui fictitium, aut deficiens patrimonium sibi constitui consentiet, in poenam ipso facto incidat Suspensionis nobis reservatae (*u*), constituensque punietur tamquam perjurii reus, nec parem effugiet poenam, qui bona in patrimonium assignanda sciens prudensque non aequo aestimaverit pretio, falsumque de eo reddiderit testimonium. Ut igitur in re

(*r*) Bened XIV. cit. Notif. 26. n. 12. Syn. Bajardi loc. cit.

(*s*) Bened. XIV. & Syn. Bajardi locis cit.

(*t*) Syn. Bajardi loc. cit. Syn. Civit. Castelli 1766. act. 2. c. 7. n. 15. Bened. XIV. loc. cit. n. 11.

(*u*) Conc. Trid. sess. 21. de Reform. c. 2. Bened. XIV. Notif. cit. n. 16.

tam gravi omnes, quantum fieri potest, arceantur fraudes, Cancellarius Noster, ad quem privative spectat Instrumenta conficere patrimonialia (*x*), sive de beneficio agatur, sive de patrimonio, a quocumque actu abstinebit, quin prius Vicarii Nostri Generalis decreto de securitate, sufficientia, & idoneitate tituli juxta regulas hactenus a Nobis praescriptas constare sit declaratum (*y*). Omnibus tandem sic rite, recteque absolutis, ad Sacros Ordines promovendorum nomina, desiderium, ac titulum Ordinationis tribus festivis diebus inter Missarum solemnia respectivi nuntiabunt publice Parochi, monito opportune populo de stricta revelandi obligatione quidquid circa illorum vitam, mores, & titulum ipsum rescire minus rectum contigerit. Hic vero iterum Parochorum Nostrorum fidem, conscientiamque requirimus, ut in tanti momenti negotio nec fallere velint, nec falli, id enim & ipsis maximum vertetur in crimen, & in lacrymabilem perniciem Ecclesiae.

VII. Clericus de Ecclesiastico sufficienti beneficio provisus, quamvis pinguius habeat patrimonium, ad titulum tamen beneficii, non patrimonii erit ad majores Ordines promovendus (z). Ordinato, qualiscumque fuerit Ordinationis suae titulus, liberum amplius non erit illum abdicare, extinguere, resignare, permutare, aut quocumque modo alienare sine expressa Nostra in scriptis venia, atque irritus, nullusque quilibet ex hisce actibus foret (*aa*), & ipse Ordinatus illico a Divinis suspensus (*bb*), quod esse volumus intelligendum, etiamsi quoad patrimonium in parte solum, non autem in toto alienatio fieret, vel permuta-

(*x*) S. C. C. in Urbanien. & Vaden. 15. April. 1758.

(*y*) Syn. Anconit. 1779. p. 2. t. 7. §. *Clericos*. Syn. Ferrarien. 1781. p. 2. c. 9. n. 19.

(*z*) S. C. C. In Sorana 26. Jan. 1669. & in Camerinen. 4. Aug. 1685.

(*aa*) Conc. Trid. sess. 21. c. 2.

(*bb*) Syn. Civit. Castelli 1766. act. 2. c. 7. n. 15.

tio, aut de praestanda tantum fidejussione ageretur (*cc*). Sciant tamen omnes, nullam facturos Nos facultatem, nisi certo constet Ordinatos aliunde esse sufficienter provisos, interposita Vicarii Nostri Generalis auctoritate, coram quo & acta omnia, & novum cessionis, permutationis, sive alienationis cujuslibet instrumentum confici semper debebunt.

VIII. A proprio quisque Episcopo & Ordines, & primam ipsam Clericalem Tonsuram debet omnino suscipere (*dd*). Nemo igitur Nobis non subditus ad Nos ordinandus accedat, & nemo ditioni Nostrae subjectus pro suscipiendis Ordinibus alium unquam adeat Episcopum (*ee*). Regulares ea adamussim servabunt, quae Sessione secunda Titulo IX. N. V. fuere praescripta. Iis addere juvat, quod nonnisi praevio diligenti examine, ac certo de vitae probitate, & de Spiritualibus adimpletis Exercitationibus testimonio ad Ordines admittentur (*ff*), sique ad Subdiaconatum sint promovendi, attestationem quoque sui Superioris de emissa professione exhibebunt (*gg*). Qui ad alium Episcopum litteris Nostris fuerint dimissi, ut aliquem ab eo suscipiant Ordinem, secutae Ordinationis testimonium intra mensem ad Nostram deferent Cancellariam sub poenis arbitrio Nostro. Singuli autem ad Ordines a Nobis promoti fidem a Cancellario Nostro suscepti Ordinis retrahent, quam penes se retinebunt suo loco, & tempore exhibituri, cum sibi patebit ad Ordines superiores ascensus. Sciant interim omnes ad quoscumque evecti sint Ordines, eo ipso ad alicujus Ecclesiae servitium fore decreto Nostro adscribendos,

(*cc*) Bened XIV. cit. Notif. 26. n. 16.

(*dd*) Conc. Trid sess. 23 de Ref. c. 8.

(*ee*) Innoc. XII Const. *Speculatores*. 54.

(*ff*) Concil. Trident. sess. 23. de Ref c. 1. Conc. Rom. tit. 21. c. 1. Innoc. XIII. Const. *Apostolici Ministerii*. Bened. XIV. Const. *Impositi Nobis* 17. Febr. 1743.

(*gg*) Conc. Rom. loc. cit.

cujus vigore & in ea Ordinem suum exercere, & festis diebus, ac praesertim solemnioribus, etiam interposita poena, Sacris functionibus interesse debebunt (*hh*). Cunctos denique ad Sacram properantes Ordinationem D. Gregorii Nazianzeni verbis (*ii*) monemus, ut velint *purgari prius, deinde purgare, sapientia instrui, atque ita demum sapientia alios instruere, lux fieri, & alios illuminare, ad Deum appropinquare, & ita alios deducere, sanctificari, & postea sanctificare.*

TITULUS XI.

De Sacramento Matrimonii.

I. Matrimonium, quod ad prolis procreationem ante peccatum, & etiam ad remedium contra peccati vulnus post peccatum institutum fuit (*a*), tandem in Lege Gratiae magnis, & Divinis bonis ornatum est, ita ut inter alia Catholicae Ecclesiae Sacramenta vere, ac proprie numeretur (*b*). Quare sedulo curandum est, ut Fideles connubia concelebrantes non humanam aliquam rem se aggredi putent, sed plane Sanctam, atque Divinam, in qua singularem mentis integritatem maxima cum religione, ac pietate aequum est adhibere. Ut autem & contrahentes, & Parochi ob oculos habeant, quae sui muneris partes in re tam gravi esse debent, utque ea, quae conveniens est reverentia exhibeatur huic Sacramento, quod *Magnum esse in Christo, & in Ecclesia* Apostolus Paullus testatus est (*c*), aliqua subjicimus

(*hh*) Conc. Trid. sess. 23. de Ref. c. 16. Conc. Rom. tit. 6. c. 2. Vide sess. II. tit. 2. n. III.

(*ii*) D. Gregor. Nazianz. Orat. I.

(*a*) S. Thom. 3. p. quaest. 42. art. 2.

(*b*) Cathec. Rom. de Sacram. Matrim. n. I,

(*c*) Ephes. 5. 32.

Sacris excerpta Sanctionibus, quae Synodali decreto servanda esse statuimus.

II. Nihil Matrimonii Sacramento injuriosius, quam ut Sponsalia inituri, ad ea sibi sternant peccatis viam. Id autem profecto eveniet, si Sponsi Sponsas frequenter invisant, crebraque cum ipsis colloquia remotis praesertim testibus, atque etiam nocturno tempore serant. Pravam hanc, plenamque periculi consuetudinem vigilantia sua, & Sacerdotali, quo debent fragrare, zelo, removere conentur Animarum Rectores, Nostra etiam freti ope, quam libentissime quocumque in casu promittimus. Iis interim, qui Sponsalia per verba de futuro jam contraxerunt sub excommunicationis poena interdicimus, ne simul habitare praesertim noctu praesumant (*d*). Invigilent insuper Parochi, ne filii familias inconsultis, & quod pejus esset, invitis Parentibus, illisque, in quorum fide, & potestate sunt, matrimonia audeant inire (*e*), operamque, vel etiam consilium in id conferentes ad Nos deferant pro modo culpae puniendos. Quod si Parentibus, caeterisque Majoribus is tribuendus est honor, ut ipsorum requiratur quoad filiorum familias Matrimonia consensus, & sine illo valida quidem ea sint, sed tamen illicita (*f*), multo sane fortius de libero contrahentium consensu constare omnimode oportet, ideoque ad publicas denuntiationes Parochos nolumus devenire, quin prius utriusque Sponsi certam intellexerint voluntatem. Illud vero animadvertant necesse

(*d*) Syn. Bajardi de Sacram. Matrim. §. *Habitis*. Act. Mediol. Conc. Prov. VI. p. 1. quae ad Matrim. pertinent. §. *Itaque*. Syn. Urbin. 1753. sess. 2. tit. 10. §. 2. Syn. Auxim. 1778. cap. 18. §. *Insuper*. Bened. XIV. Notif. 46. n. 21. Vide sess. I. tit. VIII num. VI.

(*e*) Cathec. Rom. de Sacram. Matrim. n. 32. Syn. Ferrarien. 1781. c. 10. n. 1.

(*f*) Conc. Trid. sess. 24. de reform. Matrim. c. 1. Cap. *Aliter* causs. 30. q. 5.

est, *seorsim*, *caute*, *&*, ut dicitur, *ad aurem* (*g*) Sponsos esse explorandos, sed saltem coram duobus Testibus recipiendum esse consensum, cujus libertati ne quis unquam ponatur obex, populum frequenter admoneant, a Sacro Tridentino Concilio anathemate eos omnes fuisse perculsos, qui directe, vel indirecte *Subditos suos*, *vel quoscumque alios cogant*, *quominus libere Matrimonia contrahant* (*h*).

III. Ante denuntiationes Vicario Nostro Generali jubente faciendas tribus interpolatis festivis diebus inter Missarum Solemnia, in Curia Nostra per Testium examen jurejurando firmatum, de libero contrahentium statu constare volumus juxta instructionem Supremae Generalis Inquisitionis anno 1670. typis editam, quam adamussim observari mandamus (*i*). Nec tamen Parochi quorumcumque ineunda Matrimonia denuntiabunt, quos Fidei rudimenta facto experimento cognoverint ignorare (*k*). Imo neminem unquam Matrimonio jungent, quem prius Christiana Doctrina sufficienter instructum delato ad Nos testimonio non affirmarint (*l*). Nullam ex tribus praescriptis denuntiationibus, nisi speciali Nostra intercedente dispensatione, quam gravissima tantum caussa impellente concedemus (*m*), sub poena suspensionis Nobis reservata (*n*) praetermittent. Quod si diversae fuerint contrahentes Paraeciae, tres pariter

(*g*) Rit. Rom. de Sacram. Matrim. §. *Parochus*.

(*h*) Conc. Trid. cit. sess. 24. de Reform: Matrim. c. 9.

(*i*) Syn. Bajardi p. 2. c. 10. de Sacram. Matrim. §. *Nullus*. Syn. Anconit. 1779. p. 2. tit. 8. §. *Has autem*. Syn. Ferrarien. 1781. p. 2 c. 10. num. 7.

(*k*) Rit. Rom. de Sacram. Matrim. §. *Parochus*. Act. Mediolan. Conc. Prov. V. p. 3. quae ad Matrim. pert § *Parochus*. Bened. XIV. Encycl. *Et si minime* 7. Februar. 1742. Idem de Syn. Dioec. l. 8. c. 14 n. 3.

(*l*) Vid. sess. I. tit. II. n. V.

(*m*) Bened. XIV. Const. *Satis Vobis* 17. Novembr. 1741.

(*n*) Syn. Bajardi loc. cit. §. *Ut autem*.

fient in utraque Ecclesia a Parochis respectivis denuntiationes. In his autem ne frustra morentur, atque operam ludant, populo interdum explanent, quae sint Connubiorum impedimenta, & quae obligatio, qua quisque strictissima urgetur, ea revelandi; addantque praeterea, tum eos, qui certum, sibique notum impedimentum reticuerint, tum eos, qui falsum, confictumque objectaverint, gravissimis fore multandos poenis (o). Impedimento detecto aliquo, aut aliquo de eo excitato dubio, quiescat Parochus, nec ultra prosequatur denuntiationes, sed totam Nobis rem aperiendo, Nostrum inde expectet judicium. Denuntiationibus absolutis, nulloque legitimo obstante impedimento, suum de hoc testimonium Curiae Nostrae dicat, cui alterum adjiciet, quod nuper memoravimus, de Christianae Doctrinae peritia, factaque a Vicario Nostro Generali in scriptis potestate, ad Matrimonii in facie Ecclesiae celebrationem progrediatur, nunquam tamen ipso ultimae factae denuntiationis die, & nunquam post duos ab eo menses, nisi in secundo hoc casu denuntiationibus iterum repetitis (p).

IV. *Qui aliter, quam praesente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentarit*, sciat nullum, atque irritum esse hujusmodi contractum, ipsumque inhabilem redditum ad sic contrahendum (q). Parochus vero, quod suum munus est, & jure ad ipsum spectat Matrimoniis celebrandis interesse, per se ipse, nisi legitima, gravissimaque caussa impeditus, obire tenetur (r). Vigentem hisce in Dioecesibus consuetudinem, quod Sponsae Parochus Matrimonio assistat, retineri volu-

(o) Conc. Trid. sess. 24. de Reform. Matrim c 1 a t. Mediolan. Conc. Prov. IV. p. 3. Quae pert. ad Sacram. Matrim.

(p) Rit. Rom. de Sacram. Matrim. § *Si vero*.

(q) Conc. Trid. loc. cit.

(r) Bened. XIV. Const. *Nimiam licentiam* 18. Maii 1743. §. 9.

mus, atque observari, declarantes non originis, sed domicilii Parochum esse accipiendum (*s*). Mane semper lucente die, & in Parochiali Ecclesia, nisi aliter a Nobis fuerit permissum sacra celebrentur connubia. Adsint Conjuges nuptiali Missae, in qua Poenitentiae Sacramento antea expiati, sacra Communione reficiantur. Nuptias Parochus benedicat, servatis adamussim omnibus, quae a Rituali, & a Missali Romano praescripta sunt. Vetitis ab Ecclesia temporibus, Adventus nempe usque ad Epiphaniam, & Quadragesimae usque ad Octavam Paschae, si facultate Nostra accedente, quam absolute edicimus esse obtinendam (*t*), Matrimonium sit incundum, a benedictionis solemnitate abstineat, quod aeque observabit in secundis nuptiis, si primae fuerint benedictae. Quos fortasse domi, Nobis gravissima urgente caussa annuentibus, Matrimonio conjunxerit, intra breve tempus accedere ad Ecclesiam compellat, ut Sacerdotalem inter Missarum Solemnia recipiant de more benedictionem, qua nondum obtenta, nec eos in eadem manere domo, nec Matrimonialibus uti juribus plane deceret (*u*). Qui Canonicis posthabitis Sanctionibus Matrimonium aliter contrahere praesumpserit, carcere illico plectetur, quam etiam subibunt poenam testes in id consentientes, suspensione ad triennium duratura assistenti sua sponte Parocho inflicta (*x*); nec tamen impune abibit, qui aliquam ex caeteris recensitis hactenus regulis ausus sit violare.

V. Inito in facie Ecclesiae conjugio, gravibus, plenisque modestiae verbis exponat Parochus Spon-

AA

(*s*) Bened. XIV. Notif. 33. n. 6.

(*t*) Syn. Tusculan. 1763. p. 3. c. 16. art. 13. n. 3. Syn. Civit. Castelli 1766. act. 2. c. 8. n. 12. Syn. Ferrarien. 1781. p. 2. c. 10. n. 17.

(*u*) Rit. Rom. de Sacram. Matrim. §. *Moneat Parochus*.

(*x*) Innoc. III. in cap. *Cum inhibiti* 3. de Clandest. despons.

sis, quid ipsis, quid proli, quid huic Sacramento conveniat. Datam memoret in primis fidem, quam castus alet constanter amor, & mutua charitas, ac tolerantia firmabit: Addat divinitus fuisse institutum, ut mulieres subditae sint viris suis, & suas uxores diligant viri (*y*): Splendidiora nuptarum jocalia virtutes esse, eisque concinnum permitti cultum, quo placeant viro (*z*), non quo in se oculos convertant alienos: maximum tribui ornamentum Matronis a verecundia (*aa*), nec pompis, quibus in ipso vitae Christianae limine nuncium miserunt, fas amplius esse oblectari: Omnem denique operam pari amborum sollicitudine, pari aemulatione adhibendam, ut filii, pretiosa illa conjugibus data a Deo pignora, praecipuique Sanctae maritalis conjunctionis fructus, Christiana educatione instituti in germina Christi succrescant. Haec, aut similia, prout dabit eloqui Spiritus Sanctus, Animarum Rectores loquuti, caveant, ne perdant illico sermonis fructum se se nuptiali convivio miscentes, in quo pati facile potest Sacerdotalis gravitas, modestiaque jacturam (*bb*). Integre tandem peracta Sacramenti functione, contractum Matrimonium in apposito describant codice, Conjugum expresso nomine, cognomine, ac patria, & anno, die, mense, testibusque notatis juxta formulam a Romano traditam Rituali, quam ad unguem servari absolute praecipimus.

VI. Perspicua adeo sunt Tridentini Concilii testimonia de primigenia Ecclesiastici Ordinis potestate tum in impedientia, tum in dirimentia Matrimonium impedimenta (*cc*), ut mirum profecto sit, Scriptores quosdam, qui Catholicos se esse insimulant,

(*y*) Colloss. 3. 18. 19.
(*z*) 1 Petr 3. 5.
(*aa*) Tertull. l. 2. de cult. foemin. c. 3. & 4.
(*bb*) Act. Mediol. Syn. Dioc. III. Decret. 13.
(*cc*) Conc. Trid. sess. 24. Can. 3. & 4.

ad Saeculi Principes velle illam summa injuria traducere. Proprio igitur jure, quam sibi semper vindicavit in illis constituendis auctoritatem, eam aeque in relaxandis exercet, ideoque, ubi opus sit, a Romano Pontifice supremo universalis Ecclesiae Primate certum omnino est, petendam esse, atque expectandam dirimentium omnium dispensationem. Impedimentorum seriem neminem ex Parochis Nostris ignorare confidimus, nec eam hic adtexere Nostri est instituti eo vel maxime, quod in hoc argumento, qui de virtutibus, & vitiis conscripserunt, omnes summo studio, summaque diligentia versati sunt. Illud unum subjungimus, ut libros frequenter evolvant hac de re tractantes melioris, ac probatioris notae, nec populum monere praetermittant latae sententiae Excommunicatione eos innodatum iri, qui Matrimonium scienter in vetito gradu contraxerint (*dd*). Quoad secreta Matrimonia rarissime tamen, nec sine urgentissima caussa ineunda, quae Benedictus XIV. sapientissime statuit (*ee*), exactissime erunt servanda. Secum interim Parochi animo cogitare debebunt, vigilantiae suae non solum Matrimonio conjungendos, verum etiam conjunctos creditos esse. Hinc rixas, simultates, dissidia, si quae inter Conjuges suae Paraeciae oriantur, prudentia simul, ac zelo extinguere continuo satagant, ne retardato remedio morbi ingravescant. Temporarias laudamus separationes jejuniorum praesertim, & solemnitatum diebus, ut orationi Conjuges vacent, & ad suscipienda Sacramenta puriores accedant; illas vero omnino improbamus, quarum ira caussa est, atque animi aversio. Quos igitur noverint, ita Sacramenti parvipendere sanctitatem, ut nullis nec cohortationibus flectantur, nec minis, ad Nos deferant, efficacioribus enim re-

(*dd*) Clemen. *Eos* de consangu & affin.

(*ee*) Bened. XIV. Const. *Satis Vobis*. 17. Novembr. 1741.

mediis scandala e medio tollere viribus totis curabimus.

TITULUS XII.

De Sacrosanctis Ecclesiis.

I. Sacramentorum tractatione absoluta sermonem convertimus ad Ecclesias, in quibus ab ipsa Apostolorum aetate consueverunt fideles Sacra celebrare Mysteria. Etsi enim, cum ubique sit Deus, liceat, ut D. Paullus inquit, *in omni loco puras ad Eum levare manus* (*a*), illicitum tamen esse putarunt semper Majores nostri, solemniores quosdam religionis actus alibi, quam in locis supremo Numini peculiari ritu dicatis exercere. Quamobrem, ut eam nanciscantur Ecclesiae sanctitatis rationem, qua divino aptae sint cultui, aut consecrandae sunt, aut saltem benedicendae, quorum alterum a solo Episcopo, alterum a quocumque fieri potest Sacerdote, facta tamen ab Episcopo facultate. Cum autem nec aedificari eas posse, nec destrui, quin prius Episcopi intercesserit venia, Canonicae Sanctiones statuerint (*b*), nullam in Dioecesibus Nostris Ecclesiam, nullum Oratorium, nullum Altare construi noviter volumus, nisi obtenta a Nobis in scriptis licentia, quam nunquam erimus concessuri non inspecto loco, ac probato, & congrua dote publicis tabulis non constituta. Circumstantiis omnibus concurrentibus, quibus sacrum aliquod novum excitari Ædificium decere dijudicetur, primo Nobis annuentibus benedicto, riteque apposito lapide, illud praecipue advertendum erit, ut firmitati consulatur, atque etiam elegantiae,

(*a*) 1. Timoth. 2. 8.
(*b*) Can. *Nemo* 8. de Consecr. dist. 1. & alibi

ac decori, *neque enim homini praeparatur habitatio, sed Deo* (c).

II. Nullus supra Ecclesias relinquatur habitationi, deambulationi, dormitioni, & profano cuicumque usui locus (d): nec ullae sint pariter aut portae, aut fenestrae, per quas e laicorum domibus ad Ecclesias aditus pateat, sive prospectus. Has si quae alicubi sint servitutes, sub poena interdicti edicimus esse tollendas (e). Viles, sordidas, clamosasque artes, nec non stabula, latrinas, fimique tumulos (f), cantus quoque, sonitus, saltationes, circulatorum spectacula, & ludos quoscumque (g) ab Ecclesiarum vicinitate quinque aureorum indicta poena arceri volumus, ne quid unquam indignum introeuntium offendat obtutus, & ne orantium mentes obstrepentis populi vociferationes perturbent. Vetamus insuper eadem sub poena, atque etiam pro modo culpae graviori, homines ingredi Ecclesias instructos armis, pendulo a latere excepto ense, aut arma deponere ad januam, vel ad exteriores muros, hisque equos, asinos, & alia quaelibet animalia alligare, ac tandem ligna, paleas, foenum, segetes, frumentum in Ecclesias, veluti in horreum, inferre. Haec rurales praesertim Parochi ob oculos habeant, ne vel aliis, vel sibi quicquam permittant, quod Domus Dei decorem dedeceat. Arbores item prope Ecclesias consitas, si aut succrescentibus ramis luminis aciem obtundant, aut

---

(c) 1. Paralip. 29. 1.

(d) Edict. S. Pii V. 28 Novemb. 1596. S. C. Episcop., & Concil. pluries. Vide Lucium Ferraris Verb. Ecclesiam Art. 5. n. 5.

(e) S. C. Episc. in Casert. 8. Junii 1646. in Hortonen. 11. Jul. 1655. In Faventin. 17. Febr. 1619.

(f) L. *Basilicam* C. de oper. pub.

(g) Can. *Irreligioso* de Consecr. dist. 3 Can. *decet domum* de Immunit. in 6. Act. Mediol. Concil. Prov. IV. p. 1. de profan. usu a Sacr. loc. tollend.

dilatatis radicibus officiant muris, divelli jubemus aeque ac hederas, arbusta, vepres, stirpes, aliaque id genus, quae vel muris inhaereant, vel impediant viam (*h*).

III. A profanis aedibus, ut Deo dicatae domus distingui possint, in anteriori earum fastigio ferrea Crux semper insistat, quam supereminentem habebit etiam campanaria turris. Interius ad dexteram Ecclesiae partem sit prope januam lustralis aqua marmoreo, sive lapideo inclusa vase, quae singulis Dominicis diebus de novo benedicatur. Praeter Aram Maximam nostrorum more majorum, quos a primis Christianae aerae saeculis in una Ecclesia plures certum est habuisse (*i*), plura & Nos assurgere Altaria pro Ecclesiae tamen qualitate, atque amplitudine permittemus. Haec non mobilia, nec super Sepulcra constructa debere esse jam diximus (*k*): at neque erunt maximae Arae ex adverso (*l*). In media cujusque Mensa Sacer insertus sit lapis, qui ut Calicem, & Patenam excipere commode possit, longitudinis habeat uncias viginti, latitudinis sexdecim (*m*). Porro, quamvis paullulum elatiorem esse conveniat, ut a Celebrante percipi facile possit (*n*), ita tamen cohaerere illi debet, ut extrahi nequeat, quod sane nunquam Nobis inconsultis licebit. Sacrum lapidem cerata contegat tela, quae Mensam cooperiet totam, si totum fuerit consecratum Altare. Praeter Crucifixi in medio locatam Imaginem, Candelabra sint hinc inde bene disposita, quorum antiquissimum in Ecclesiis fuisse usum luculentissima testimonia demon-

(*h*) Act. Mediol. loc. cit. de ornat. Sacror locor

(*i*) D. Gregor. M. lib. 5. Epist. 50. ad Pallad. Sancton. Epis.

(*k*) Sess. III. tit 5. n. 3.

(*l*) Syn. Ferrarien 1781. p. 5. c. 1. n. 5.

(*m*) Rubr. gen. Missal. tit. 20. Act. Mediol. Conc. Prov. IV. p. 1. de Capell., & Altar § *Petra sacra*.

(*n*) Syn. Callien. 1708. tit. 2. c. 6. n. 13.

strant (*o*). Prostent in medio, atque ad latera Secretorum Tabellae, Mappaeque tres sint Mensae superimpositae, quas semper stragulo operiri decebit Missis, Matutinisque functionibus absolutis. Altaris frons coelata, vel picta Cruce obsignetur, eique suppedaneum adhaereat decenter elaboratum. Ubi Sanctissima asservatur Eucharistia, fornice non protegente, quadrata umbella, seu Baldachinum a defluentibus e tecto sordibus Aram omnino defendat. Idem adhiberi, si nuda sint tecta, caeteris quoque Aris tutamen, conveniens maxime foret, atque opportunum.

IV. Quanta fuerit semper Christianis in Sacris Deo Aedibus exornandis religio, ii tantum ignorant, qui vix, ac ne vix quidem Ecclesiasticam salutarunt historiam (*p*). Porro si refrigente infelici hoc saeculo charitate, pietas & ipsa populorum in Ecclesias refriguit, imitari ex illis exemplum pudendum esset Sanctuarii Ministros, quorum praecipui muneris est diligere Domus Dei decorem (*q*). *Maxime igitur*, ut ait Ambrosius (*r*), *Sacerdoti hoc convenit ornare Dei templum decore congruo, ut etiam hoc cultu aula Dei resplendeat*. Id audiant potissimum, & mente retineant Parochi, Rectores, Aeditui, indeque diligentissime curent, ut in suis Ecclesiis ubique mundities appareat, ubique nitor. Sit pavimentum firme, & aequaliter stratum, albeant rimis occlusis parietes, tectum nec fatiscens, nec parte in aliqua scissum, facile ingruentes pluvias demittat. Firmissimis stent januae valvis, quae sub meridiem, atque sub vesperum dato salutationis Angelicae signo aut pessulo, aut fida clavi obserentur. Nullibi sordes occurrant, nullibi aranearum

---

(*o*) Baron. ad ann. 58. n. 70. Durant. de rit. Eccles. Cathol. lib. 1. c. 8.

(*p*) Idem Baron. ad ann. 57. n. 82. vid. Euseb. de vita Costantin. lib. 3. c. 50. Socrat. histor. l. 1. c. 16. 17.

(*q*) Psalm. 25. 8.

(*r*) S. Ambros. l. 2. de Offic. c. 21. circa finem.

telae, & ita octavo quoque die verrantur omnia, ac purgentur, ut nihil unquam inveniatur, quod possit intuentes offendere. Non minor habenda est sacrae cujuslibet supellectilis cura, nec minor in ea debet elucere cultus, atque mundities. Obsoleta, lacera, sordida indigna est prorsus, quae ad tremenda Religionis Mysteria adhibeatur. Caveant igitur Ecclesiarum Rectores, sacrariorumque praefecti universi, gravissimas secus daturi poenas, ne eo irreverentiae deveniant, ut foedatum quicquam, aut lacerum ad Altare ferre praesumant; sub poena vero aurei unius qualibet vice luenda caveant, ne iis utantur, aut uti sinant supellectilibus, ac paramentis, quae vel antea benedicta non fuerint, vel fuerint a Nobis in Sacra Visitatione interdicta (*s*).

V. Sacra quaecumque indumenta, & generis cujusque supellex Ecclesiae semel addicta, non amplius in profanos converti poterunt usus, neque etiam commodari ad Ædes non sacras ornandas (*t*). Supellectilium, paramentorum, atque utensilium omnium intra duos menses ab hujusce Synodi publicatione, singuli Ecclesiarum Rectores, poena interposita trium aureorum, inventarium conficient in Ecclesiae Archivio perpetuo retinendum, delata interim praescripto tempore copia ad Nostram Cancellariam (*u*). Respondens Ecclesiae Sacrarium, suo & ipsum ostio claudatur, scriniaque, & armaria munita sint seris, ac clavibus. Et ostium habeat, & clavem campanaria turris, ne liber ad eam cuilibet aditus pateat, nec unquam sub gravibus poenis arbitrio Nostro irrogandis nondum benedictae pendeant ab illa campanae, quamvis ad Regularium Ecclesias turris pertineat (*x*). Campanas Deo

(*s*) Cap. *Tabernaculum* de Consecr. dist. 1. Bened. XIV. Notif. 21.
(*t*) Cap. *Vestimenta*, & seq. dist. 1. de Consecr.
(*u*) S. C. C. 18 Octob. 1626 Syn. Callien. 1[illegible]8 t. 2 c. 6 n. 20.
(*x*) Pontif. Rom. tit. de Benedict. Campan. Bened. XIV. Notif. 47. n. 38.

solemni ritu dicatas pro qualibet profana caussa pulsari prohibemus (y); decernimus autem esse de more pulsandas, quoties ad aliquam Dioecesis Ecclesiam sive ad Civitatem, sive ad Oppidum Nos accedere itinere facto contigerit (z). Usum quoque illas pulsandi ad tempestates fugandas probamus, ac maxime commendamus. Hic tandem obiter memorare non incongruum ducimus, a nemine Sabato Sancto pulsari campanas posse, quin prius a Cathedrali Ecclesia in Civitate, a Matrice, vel Parochiali in Dioecesi datum fuerit signum (*aa*).

VI. Ecclesias aeterni Numinis Domus in Sacris Litteris dictas, infinita propemodum esse reverentia adeundas, *nihilque in ipsis loquendum, seu cogitandum terrenum* (*bb*), non minus religio, quam ratio ipsa suadet. Parochi igitur frequentissime in hoc argumento versentur, suos admonentes populos, tot, tantasque, quibus quotidie affligimur, calamitates, plerumque *ultionem Domini esse*, *ultionem Templi sui* (*cc*). Quapropter praesentium aerumnarum sensu, ac imminentium formidine propositis, futurique judicii terrore praetenso eos hortari non cessent, ut non tam compositi corpore, quam animo humiles, atque devoti videntem, audientemque Deum in Ecclesiis adorent, suasque coram eo preces contrito corde, & genibus omnino flexis effundant. Sint propterea, quoad fieri potest, a foeminis mares sejuncti, atque hi quidem, detractis pileolis, reticulisque, caput habeant prorsus apertum, illae vero e contra juxta praeceptum Apostoli semper velatum, quod ita absolute praeci-

(y) Act. Mediol. Conc. Prov. IV. p. 2. de Eccl., & earum cultu. S. C. Episc 31. Januar. 18. Mart. 1581.

(z) Coerem. Episc. l. 1. c. 15. n. 4. Lucius Ferrar. verb. *Campana* n. 42.

(*aa*) Leon. X. Const. *Dum intra* 22. §. 12.

(*bb*) S. Nilus Abb. Paraenes c. 57.

(*cc*) Jerem. 51. 11.

pimus, ut in mulieres legem hanc detrectantes, post tertiam monitionem Excommunicationis Nobis reservatae poenam statuamus (*dd*). Fucos, cincinnos, flores, aliaque vanitatis, atque immodestiae signa gestantes, brachiisque, humeris, ac pectore inhoneste nudatae, si ad Sacramenta audeant accedere, imperterrito zelo prohibeantur (*ee*). Risus, clamores, jurgia, quinimo deambulationes, gesticulationes, inutilesque sermones gravibus etiam indictis poenis vetamus (*ff*). Nemo Laicorum ad Presbyterium, aut ad Altare, dum Sacra peraguntur Mysteria, & divina Officia celebrantur, propius, quam par est, accedat (*gg*): Nemo item audeat pileum, baculum, ensem, pallium, aut aliud quidlibet super Altaria deponere, Augustissimo Sacramento vertere terga, sarcina imposita per Ecclesiam transire, introeuntes, exeuntesque spectatum prae foribus stare. Nemo curiosius viros, foeminasque inspecturus, Musicorum ascendat stationem, inopportunamque ibi moram loquacitati concedat. Indigna haec agentes multa emendabit pro modo culpae statuenda. Nullibi per Ecclesiam mendicare pauperes liceat (*hh*), nullibi adducere, si fieri possit, infantulos, ne perturbentur orantes. Praecipue vero a Domo Dei *foris canes* (*ii*), quos, trium juliorum interposita poena, Ecclesiarum Sacristis, Custodibus, & Clericis districte praecipimus, ut eo ipso ac viderint Ecclesiam ingressos, respectu quocumque posthabito, ejiciant (*kk*). Quod si irreligiosum aliquem, qui suum potius canem curare velit, quam Dei Ma-

(*dd*) 1. Corinth. 4. 5.

(*ee*) Innoc. XI. in Edicto Urb. apud. Monacell. tom. 1. tit. 5. form. 8. Clem. XI. in Edict. 15. Jul. 1713.

(*ff*) S. Pius V. Const. *Cum primum* 1556.

(*gg*) Conc. Rom. tit. 26. c. 4.

(*hh*) S Pius V. cit. Const. *Cum primum*.

(*ii*) Apocalyp. 22. 25.

(*kk*) Coerem. Episcop. loc. cit. Syn. fere omnes passim.

jestatem, offendere in hoc contigerit, re ad Nos delata, Nostrum erit illatam Ecclesiae, non cani injuriam pro viribus vindicare.

VII. Nullus esse deberet sedendi locus ante Eum, quem trementes adorant omnes Angeli ejus (*ll*), & in cujus nomine coelestium, terrestrium, & infernorum genua omnia flectuntur (*mm*). Quum vero pia Mater Ecclesia pro temporum, locorumque opportunitate aliqua permittat haberi scamna, ac sedilia, hanc & Nos postulantibus facultatem faciemus, dummodo tamen sedilia, & scamna nec in Presbyterio, nec prope Altaria ponantur, quod sub Interdicti poena vetitum est (*nn*), & nullum ii sibi jus credant tributum, acquisitumque; tota enim haec pendet a Nostro arbitrio potestas (*oo*), & scamna, ac sedilia praedicta removere, collocare, ampliare, minuere, prout magis Ecclesiarum decori expedire dijudicaverimus, Nobis est unice reservatum. Curent interim Animarum Rectores, ne rusticani praesertim homines confessionalibus insideant sedibus, ne protensis super Aras innitantur brachiis, ne vasi lustralis aquae, aut Sacro Baptismatis fonti incumbant. Caveant autem omnino, ne sacrae ita protrahantur vespere functiones, ut post Solis occasum compleantur (*pp*), musicosque concentus ita compescant, ut Loci sanctitati conveniant, nihilque sit unquam absonum ab Ecclesiastico ritu (*qq*). Atque utinam sic zelo Domus Dei comedantur (*rr*),

(*ll*) Haebr. 1. 6.

(*mm*) Philip. 2. 10.

(*nn*) Conc. Rom. cit. t. 28. c. 4.

(*oo*) Act. Mediolan. p. 4. Instruct. pro Vicar. Foran. §. *Nullus Rector*. Monacell. tom. 1. tit. 5. form. 8. n. 4. Syn. Bajardi p. 4. c. 6. Syn. Civit. Castelli 1766. Act. 1. c. 7. n. 10. Syn. Ferrarien. 1781. p. 5. c. 1. n. 17.

(*pp*) Clem. XI. Encycl. 1701. §. 10. Bened. XIV. Epist. *Singularem voluptatem* 31. Aug. 1741.

(*qq*) Bened. XIV. Encycl. *annus*. 19. Febr. 1749.

(*rr*) Psalm. 68. 10. 11.

ut & abusus eliminari, & debitum Templis praestari honorem omnibus industriae nervis contendant. Id certe ab ipsis potissimum reposcere Deum meminerint, qui Sanctuarii sui custodes non eos incassum elegit.

VIII. Asyli jus, quo merito gaudet Ecclesia, ab ipsa fuisse religione inductum, intimus ille sensus testatur, quo Loci majestatem, sanctitatemque reveremur, atque ejus exhorrescimus violationem. Quamobrem Immunitatem, quam dicunt, non a legibus profluxisse humanis, sed a religioso fidelium consensu, & ab ea, qua ferebantur in Ecclesias, pietate compertum est. Quidni enim Ædibus Sacris tribuendum esse crediderint, quod sibi vindicabant principum domus? Sane ad Ecclesias confugientes, quasi se in Dei tutelam receperint, in tuto esse debere ita est exploratum, ut tum Canonicae Leges, tum Civiles mira in id consensione conveniant. Hoc igitur jus custodiri inviolatum volentes, declaramus non illo tantum majores Ecclesias cum suis atriis, porticubus, ac sacrariis gaudere, verum etiam minores, & quascumque Episcopali auctoritate ad sacra peragenda addictas (privatis Oratoriis semper exceptis) licet consecratae non fuerint, quinimo licet nondum integre aedificatae, aut etiam interdictae, pollutae, ac dirutae, dummodo reaedificationis spes aliqua subsit: Item Episcopalia Palatia, domos Parochiales, Regularium, ac Confraternitatum aedes, Religiosa loca, Xenodochia, campanarias turres, & Coemeteria (*ss*). Ad immunia quaelibet loca haec confugientibus, nemo accessum, stationemque prohibeat. Sed nemo pariter in iis receptos sub excommunicationis latae sententiae poena retinere, extrahere, vel in fugam conjicere au-

---

(*ss*) Fagnan. in Cap. *Ecclesiae* 9. de Immunit. Eccles. Luci. Ferrar. Bibliotech. verb. *Immunitas* art. 2. Giraldi exposit. Juris Pontif. p. 1. sect. 637.

deat (*tt*), nisi forte sint atrociorum criminum rei, quibus denegandum esse confugium Pontificiae decrevere Sanctiones (*uu*). Neque hi tamen, quin auctoritas intercesserit Nostra, ab immuni loco erunt extrahendi; ideoque sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, Sedique Apostolicae reservatae praecipimus, ea omnia servanda esse, quae Sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. casibus in hisce praescripsit. Caveant autem quicumque confugae, ne in Ecclesiis cubare, comedere, aliudve agere sacro loco indecorum praesumant, ne Divina Officia, vel Ecclesiasticas Functiones perturbent, vel in justitiae contemptum aliquid perpetrent, unde ejiciendos esse statuamus (*xx*). Ecclesiarum igitur Rectores pro munere suo certiores Nos reddere debebunt, tum si qui confugii gratia ad eos advenerint rei, tum si sacro asylo abutantur, ut, quod res postulabit, capiamus opportune consilium (*yy*).

IX. Locorum Immunitatem Immunitas consequitur Rerum; atque hinc nulla est judicibus laicis in Ecclesiastica bona potestas. Ut igitur, quantum in Nobis est, Ecclesiasticam libertatem exemptionemque tueamur, a fidelium communione ipso facto sejunctos declaramus ministros quoscumque, qui saecularis Curiae mandata etiam vigore manus regiae expedita exequi praesumpserint, nisi prius Nostra, vel Vicarii Nostri Generalis, aut Ecclesiastici alterius Judicis subscriptio accesserit. Quod si ea habenda est de rebus ratio, par, nisi major habenda est de Ecclesiasticorum Personis (zz). Jura haec sanctissima divini-

(*tt*) Gregor. XIV. Const. *Cum alias* 28. Jun. 1565.

(*uu*) Greg. XIV. cit. Const. *Cum alias*. Bened. XIII. Const. *Ex quo* 15. Jun. 1725 Clem. XII. Const. *In supremo* 1. Jan. 1734. Bened. XIV. Const. *Officii nostri* 15. Mart. 1750.

(*xx*) S. C. Immunit. apud Riccium in Synopsi verb. *Abutens*.

(*yy*) Idem in Synops. verb. *Litterae ejectionis*, & verb. *Domus*.

(zz) Cap. 1. de for. compet. caus. 11. q. 1.

tus profecto instituta ne quis unquam audeat violare, sciat, Ecclesiasticam laedentes Immunitatem ne ab ipso quidem Majori Poenitentiario absolutionis beneficium posse obtinere (*aaa*).

TITULUS XIII.

De Oratoriis, Capellis, & Beneficiis.

I. Publica quae sunt Oratoria, publicam debent habere januam cuique patentem, cumque non ad preces solum fundendas, verum etiam ad Sacrificium celebrandum sint constituta, adventantibus Sacerdotibus, & praesertim Parocho, copia semper facienda est celebrandi (*a*). In agris posita, extra Missarum, aut precum tempora, penitus occlusa remaneant (*b*). Quaecumque de Ecclesiis superiori Titulo diximus, eadem ad publica quoque Oratoria edicimus referenda. Id addimus unum, annua redeunte Titularis die, tres celebrandas in iis esse Missas (*c*), sed nullam omnino in solemnitatibus Natalis D. N. J. C., Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, & Patronorum tum Civitatis, tum Paraeciae, si minus quam mille passuum spatio a Parochiali distent Ecclesia (*d*). De Missae celebrandae hora, deque tradenda Christiana Doctrina ea adamussim servari praecipimus, quae Sess. I. Tit. II. n. 8. fuere praescripta. Meminerint interea, qui in Oratoriis jus habent, onere se esse gravatos instaurationum. Injuria temporum, vel oscitantia Patronorum fatiscentia, nisi intra bimestre reparentur, declarabimus interdicta. Neglecta, aut diruta, quae

---

(*aaa*) Bened. XIV. Const. *Pastor bonus* 13. Apr. 1744. §. 14.

(*a*) Syn. Ferrarien 1781. p. 5. c. 2. n. 2.

(*b*) Syn. Anconit. 1779. p. 3. t. 1. art. 2. Syn. Ferrarien. loc. cit. 2. 4.

(*c*) Monacell. tit. 6. form. 10. n. 5.

(*d*) Syn. Ferrarien. loc. cit. n. 3.

vel instaurari nequeunt, vel neminem habent obnoxium instaurationi, Imaginibus amotis Sanctorum, sacro avulso lapide, atque Ara destructa, in profanos, non tamen sordidos usus converti, erecta prius ibi Cruce, potestatem faciemus (*e*).

II. Privati Oratorii ab Apostolica Sede privilegio donati, leges cunctas, conditionesque in Pontificiis appositas litteris strictim servare tenentur. Quod si aliquo excesserint ex illis modo, ipsos decernimus, obtenta facultate privatos. Quamobrem praeter ea, quae alibi, & praesertim Tit. V. Num. V. hujus Sessionis diximus, juvat hic addere 1. nullum constituendum esse Oratorium, nisi a profanis usibus segregatum, visitatumque ab Episcopo, a quo celebrandi concedenda est venia arbitrio ipsius duratura; 2. unicam tantum quolibet die celebrandam esse in eo Missam, aliquo semper ex Indultariis praesente, & a solo Sacerdote ab Episcopo specialiter adprobato; 3. interdictam esse sine expressa Episcopi licentia Sacramentorum quorumlibet administrationem, & solenmioribus Anni Festivitatibus Missarum etiam celebrationem (*f*). Horum omnium ne quemquam oblivio capere, aut obrepere ignorantia possit, sub poena immediatae suspensionis privilegii mandamus, ut in termino duorum mensium a publicatione Nostrae hujus Synodi, in privato unoquoque Oratorio Tabula a Nobis subscripta appendatur, quae seriem omnem legum praedictarum recenseat.

III. Majoribus non tantum Ecclesiis, sed etiam minoribus, ipsisque Oratoriis affixa plerumque sunt Sacerdotia, quae tamen, ut proprie Ecclesiasticorum rationem habeant beneficiorum, Episcopali auctoritate debent esse instituta (*g*). Haec cujuscumque sint

---

(*e*) Conc. Trid Sess. 21. de Ref. c. 7.

(*f*) Bened XIV. Encycl. *Magno* 2 Junii 1751. §. 12.

(*g*) Gloss. in Clementin. 2. de Decimis V. *Beneficiorum*.

generis, ut ad digniores, ac magis idoneos conferantur, Ecclesiae bono plurimum interest. Caveant igitur, qui sive Ecclesiastico, sive Laico gaudent Patronatus jure, ne quemquam Nobis sistant Beneficio augendum, quem bene esse meritum nesciant. Non precibus, non amicitiae, non ambientium suggestionibus indulgendum esse meminerint, sed Ecclesiae commodo, atque utilitati, dignioreque posthabito, minus dignum eligere summam esse injuriam (*h*), dirumque scelus, si spe fiat impia lucri. Nec duo incompatibilia, ut ajunt, beneficia, nec duo, quae sub eodem tecto uniformia dicuntur, a quopiam haberi poterunt, aut retineri (*i*). Simplicium etiam beneficiorum pluralitatem Sacri Canones damnant (*k*), adeoque qui unum possidet ad honestam substentationem sufficiens, altero nequit augeri. Honesta haec autem, ac decens substentatio, si quaestio de ea oriatur, Episcopi erit arbitrio aestimanda. Caeterum qui duplici nondum beneficio contentus, tertium quoque sine Apostolica dispensatione adeat, utraque priora amittet, quae jure ipso vacabunt (*l*).

IV. Parochiali aliquo beneficio vacante, indicto de more concursu, S. M. Benedicti XIV. Constitutionem *Cum illud* (*m*) servandam adamussim curabimus. Commendatitiis munitos litteris, importunisque officiis suffultos, sicut ab Ordinibus, ita a concursu decernimus repellendos (*n*), quam luent pariter poenam, qui nondum vacans postulare praesumpserint beneficium. Melioribus, pinguioribusque Sacerdotiis

(*h*) Conc. Trid. sess. 23. c. 6. & sess. 24 c. 12. & 18. de Ref. Vide 47. ex Propos. proscript. ab Innoc. XI. 2. Mart. 1669.

(*i*) Conc. Trid. Sess. 7. c. 2. & 4. de Ref.

(*k*) Conc. Trid. Sess. 24. c. 17. de Ref.

(*l*) Syn. Bajardi p. 4. c. 9. §. *Si unum* ibiq. allegat.

(*m*) 14. Decem. 1742.

(*n*) Act. Mediolan Conc. Prov. I. p. 2. tit. quae pert. ad collat. Benefic. §. *Qui Beneficium*. Syn Urbin. 1753. sess. 4. tit. 5. §. 2. Syn. Anconit. p. 1. t. 2. §. *Nemo*.

inhiantes cum D. Bernardo monemus ne *Ecclesiasticae dignitatis officia in turpem quaestum, & tenebrarum negotium transire faciant; Iniquum est enim, si in his non salus animarum, sed luxus quaeritur divitiarum* (o). Ut autem, quantum fieri potest, Ecclesiasticorum quorumdam aliquibus coerceatur avaritia limitibus, cum Sacri Canones, non nisi gravissimis ex caussis, ab una ad aliam Ecclesiam permittant transitum (p), cuilibet beneficium Parochiale obtinenti ante completum illius pacificae possessionis triennium idem resignare, atque ad Parochiale aliud concurrere nefas in posterum erit (q). Nemo quamvis intra tempus a jure statutum legitime nominatus, ac praesentatus sine Nostra institutione beneficium adire audeat, decretas a Sacris Canonibus subiturus aliter poenas (r). Qui vero ab Apostolica Sede beneficio auctus, ab aliis, quam a Nobis, aut a Generali Nostro Vicario in possessionem fuerit immissus, intra mensem a die possessionis praedictae, aureorum quinque indicta poena, provisionis litteras Curiae Nostrae exhibere teneatur in actorum Codicem referendas (s). Beneficia quaecumque sive per resignationem, sive per permutationem adepta intra sex menses a die concessionis numerandos, si a Romana Curia fuerit expedita provisio, intra tres autem, si a Nostra, publicanda erunt tum in Cathedrali Ecclesia, tum in Ecclesia, in qua erecta ipsa fuerint, no-

CC

(o) D. Bernard. Serm. 6. in Psalm. *Qui habitat*.

(p) Cap. *Episcopus* 37. Caus. 7. q. 1. Cap. *Quaesitum* 5. de rer. permut.

(q) Syn. Urbin. loc. cit. §. 2. Syn. Ferrarien. 1781. p. 5. c. 9. n. 8.

(r) Cap. *ad Aures* 3. de Excess. Praelator. Cap. *Relatum* 21. de Jur. Patron.

(s) Act. Mediolan Conc. Prov. II. tit. 3. decret 1. Syn. Fulginat. 1722. c. 12 n 1. Syn. Urbin. 1753. sess. 4. t. 5. §. 5 Syn. Civit. Castelli 1766. Act. 3. c. 12. n. 10. Syn. Anconit. 1779. p. 1. t. 2. §. *Quicumque*.

minibus, ac cognominibus partium expressis, affixisque dictarum Ecclesiarum valvis provisionis litterarum exemplaribus. Quae quidem omnia nisi adimpleantur, nullae, atque irritae censendae erunt concessiones, & gratiae, ac beneficia vacabunt (*t*).

V. Praeter Fidei professionem, ad quam emittendam beneficiarios universos teneri diximus (*u*), juramentum quoque noviter provisi in manibus Nostris, vel Vicarii Nostri Generalisp raestabunt, servata formula in Appendice tradenda (*x*). Hinc intra bimestre ab initae possessionis die, bonorum omnium sui beneficii tam mobilium, quam immobilium juxta normam in Romani Concilii calce designatam (*y*) inventarium conficient, cujus duo conscribi praecipimus exemplaria, alterum in Ecclesiae Archivo servandum, alterum ad Nostram deferendum Cancellariam. Cum autem Ecclesiarum maxime conferat indemnitati tabularum, veterumque monumentorum custodia, plurimaque eorum in Dioecesi hac Nostra dolere debeamus malo sane fato deperdita, Ecclesias omnes, & pia loca suum volumus habere Archivum, in quo Scripturae asserventur, quarum Cathalogum Rectoris cujusque manu signatum, ibique reconditum, Sacrae occasione Visitationis explorare officii erit Nostri religio (*z*). Quam quidem Visitationem ne contingat unquam frustrari, beneficiariis omnibus, gravibus etiam arbitrio Nostro interpositis poenis, indicimus, ut, nisi legitimo detineantur impedimento, de quo certiores Nos efficere opportune debebunt, personaliter ad-

(*t*) Greg. XIII. Const. *Humano* 5. Jan. 1583. Bened. XIV. Const. *Ecclesiastica* 16. Maii 1746.

(*u*) Sess. 1. t. 1. n. 2.

(*x*) Vid. Append. num. XIX.

(*y*) Conc. Rom. In Append. n. 10. Syn. Fulgin. 1722. c. 27. n. 19. Syn. Urbin. 1753. loc. cit. §. 8. Syn. Anconit. 1779. p. 1. tit. 2. §. *Sub Iisdem*. Syn. Bajardi p. 4. c. 12.

(*z*) Conc. Rom. tit. 12. c. 6.

sint, cum Ecclesiam erimus, aut Altare visitaturi, ubi ipsorum erectum est beneficium, tum debitum Episcopo suo praestituri obsequium, tum suae reddituri administrationis rationem (*aa*).

VI. Dolebat sua aetate Hieronymus (*bb*), *non nullos esse, qui possident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete, & fallace Diabolo non habuerant, ut suspiret eos Ecclesia divites, quos Mundus tenuit ante mendicos*. Atque utinam eadem nostris etiam hisce temporibus usurpanda non esset sententia! Serio igitur beneficiarii perpendant, ex Ecclesiasticis bonis ultra propriam honestam substentationem adscribere sibi non posse, quod superest. *Quid enim aliud*, ut D. Prosperi utamur verbis (*cc*), *sunt res Ecclesiae, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum?* Quamobrem persuasum sibi habeant tum instaurandis, ornandisque Ecclesiis, tum pauperibus sublevandis esse insumendos earum fructus (*dd*), neque falsis unquam adduci patiantur rationibus, ut Ecclesiasticos reditus in profanos convertant usus, consanguineos praesertim augendo, suisque nimium indulgendo commoditatibus; eaque adamussim observare omnia studeant, quae Sess. II. Tit. I. & II. de vita, & honestate Clericorum decrevimus. Bona insuper, ac jura omnia beneficiorum suorum pro viribus sarta tecta tueantur, praecipuasque sui muneris partes reputent esse, pro Ecclesia, pro Benefactoribus, & pro Christiana universa Republica D. O. M. exorare. Intelligere quippe debent, in tanta hac temporum, in qua versamur, acerbitate, nihil aut magis necessarium, aut magis consentaneum justitiae,

---

(*aa*) Syn. Fulgin. 1722. c. 12. n. 9. Syn. Anconit. loc. cit §. *Onus*.

(*bb*) D. Hieronym. Epist. ad Nepotian.

(*cc*) D. Prosper. l. 2. de vit. activ. c. 9.

(*dd*) Urban I Epist. unic Decretal. c. 2. Cap. *Qui Christi* causs. 12. q. 2. Conc. Trid. sess. 25. cap. 1. de Ref.

quam ut coelestem iram non precibus tantum, sed & Sacerdotalibus lacrymis placare studeant, qui in hunc assignata finem quotidiana stipendia accipiunt. Horas propterea canonicas devote, exacteque recitent, quas si vel omiserint, vel neglexerint, fructus non fecisse suos, & ad ipsorum restitutionem non expectata Judicis sententia teneri, satis est exploratum (*ee*). Porro in divina hac actione quasi Dei, atque hominum mediatores effecti, quid justitiae debeant, quidve religioni, ac pietati habentes prae oculis, Christum Dominum imitentur, qui Paullo teste (*ff*) *preces, supplicationesque.... cum clamore, & lacrymis offerens exauditus est pro sua reverentia.*

TITULUS XIV.

De bonis Ecclesiasticis tum non alienandis, tum recte administrandis.

I. Quae bonorum Ecclesiae ratio sit, ac natura, & quis esse debeat ipsorum usus, paucis superius innuimus. Plura nunc juvat de eorum administratione disserere, quae sive ex Pontificio deducta jure, sive ex Praedecessorum Nostrorum decretis hic in unum collecta referre operae est pretium. Ac primo quidem in mentem tam beneficiariorum, quam caeterorum quorumlibet bonorum Ecclesiae administratorum redigimus, sub poena damnationis aeternae, & excommunicationis ipso facto incurrendae esse interdictum, bona eadem sive mobilia pretiosa, sive immobilia venundare, permutare, ac censui, hypothecae, pignori, Emphiteusi, servituti subjicere, ac de rebus, juribusque Ecclesiae transigere Beneplacito

(*ee*) Leo X. Const. *Supernae* §. 38. S. Pius V. Const. *Ex proximo*. Vid. prop. 20. ex proscrip. ab Allex. VII. 24. Sept. 1666.

(*ff*) Haebr. 5. 7.

Apostolico, vel Nostro, in casibus a jure permissis, legitime non obtento, quod quidem ita intelligi volumus, ut nullius plane censenda sit roboris clausula *reservato Beneplacito Apostolico*, hoc enim non impetrandum sacra exigunt jura, sed jam impetratum (*a*). Hujusmodi contractus, si malis, quod absit, auspiciis fiant, irritos, inanesque Sacrorum Canonum auctoritate decernimus, & gravibus plectendos jubebimus poenis etiam Notarios, qui suis illos inscripserint tabulis.

II. Locationes ultra tres Annos, eosque, ut ajunt, utiles (*b*); cessiones, venditionesque fructuum vel ad vitam, vel ad longum tempus, sive fiant numerata unico actu pecunia, sive statis solvenda temporibus (*c*); censuum alienationes etiam ad bona Ecclesiae aere alieno liberanda factae (*d*), pari modo, iisdemque sub poenis vetantur. Quamvis vero locationes ad triennium nullo interdicantur jure, irritas tamen eas declaramus, quibus fraudulenta sit adjecta conditio, *quod si postremis trium annorum mensibus contrahentes conquiescant, locatio ad aliud triennium protracta, vel renovata censeatur* (*e*). Item sub poena nullitatis, aliisque arbitrio Nostro praecipimus, ne Ecclesiastica bona beneficiariorum, rectorum, aut administratorum consanguineis, vel affinibus usque ad secundum gradum inclusive locentur (*f*); quinimo neque bona possidentibus adjacentia, nisi designatis exacte confiniis, lapidibusque

(*a*) Cap *nulli*, & Extravag. Paulli II *Ambitiosae*, de reb. Eccl. non alien. Urb. VIII Const. *Humanae Salutis*.

(*b*) Cit. Extravag. *Ambitiosae*. Bened. XIII. in Concil. Rom. t. 10. c. unic. & in Const. *Ex quo* relat. in Append. ipsius Concilii.

(*c*) Bened. XIV. Const. *Universalis Ecclesia* 29. Aug. 1741.

(*d*) Clementin. *Exivi* §. *Cumque Annui* de verb. signif.

(*e*) Syn Bajardi p. 5. c. 6. §. *Quae sunt* Syn. Ferrarien. 1781. p. 5. c. 11. n 5. aliaeque.

(*f*) Alex VII Const. *In Suprema* 23 April. 1657. Syn. Bajardi loc. cit. §. *Locationes*. Syn. Anconit. 1779. p. 2. c. 14. §. *Praeterea*.

appositis terminalibus (*g*). Caeterum ne in triennalibus hisce locationibus aut ulla fraus interveniat, aut aliquid Ecclesiis, piisque Locis inferri detrimenti contingat, praecedet semper in posterum per decem ante dies Edictorum affixio, latisque intra primos sex ad Vicarium Nostrum Generalem in Civitate, ad Foraneos in Dioecesi clausis oblationum schedulis, iisque Nobis resignatis, quid post ipsarum aperitionem, maturamque considerationem utilius esse in Domino dijudicaverimus, statuemus, potestatem in scriptis Cancellario Nostro facientes coram Generali Vicario locationis in publicas tabulas referendae (*h*).

III. Bona in emphiteusim ab antiquo concedi solita, si ad Ecclesiam sint devoluta, licite iterum concedi absque juris solemnitatibus possunt (*i*), antiquis tamen servatis omnibus integre conditionibus. Censuum retrovenditiones tamquam necessarii contractus permissae aeque sunt. Caveant tamen Beneficiarii, & administratores quicumque, ne pecunias ex retrovenditionibus dictis retractas penes se retineant, sed intra tres dies sub immediata poena interdicti ab ingressu Ecclesiae (*k*) in Sacra pietatis Æde sive penes deputatum a Nobis depositarium deponant. Quod si in foenus illas ponendi nova se praebeat occasio, caveant sub gravibus poenis arbitrio Nostro irrogandis, ne consanguineis, aut affinibus suis in primo, vel secundo gradu conjunctis tradendas curent (*l*), ne desit ulla ex praescriptis a notissima S. Pii V. Constitutione legi-

(*g*) Syn. Bajardi loc. cit. Syn. Fulginat. 1722. c. 27. n. 8. Syn. Ferrarien. loc cit. n. 8.

(*h*) Syn. Bajardi l. c. Syn. Fulgin. l. c. n. 17. Syn. Tusculan. 1763. p. 1. c. 20. n. 10. Syn. Ferrarien. 1781. p. 5. c. 11. n. 8.

(*i*) Extravag. cit. *Ambitiosae*.

(*k*) Innoc. XII. Const. *Nuper* 23. Decembr. 1697. Vid. tit. VI. n. I. hujus sess. III.

(*l*) Syn. Bajardi loc. cit. §. *Quod* Syn. Fulgin. loc. cit. n. 8. Syn. Urbin. 1753. sess. 4. t. 7. §. 3.

bus (*m*), & ne sine Nostra in scriptis venia gratis semper danda, ac Vicarii Nostri Generalis decreto instrumentum publicum conficiatur (*n*). Arbores quoque in Ecclesiae consitas fundis, quamvis infructiferae censeantur, potestate a Nobis, vel a Vicario Nostro Generali non facta, nefas erit evellere, aut coedere: hanc vero nunquam potestatem faciemus, nisi prius Nobis certo testimonio constiterit, nullum inde Ecclesiam passuram damnum, pretium in ejus utilitatem cessurum, novasque in promptu esse plantas veteribus illico sufficiendas (*o*). Oblationes demum ex voto, vel ex devotione Altaribus, aut Sacris Imaginibus factas, praesertim si pretio sint aestimabiles, quominus vendi possint, ac distrahi, etiamsi transmutari in res alias velint, quae utiliores credantur, nisi Nostra accesserit venia, iisdem pariter sub poenis districte vetamus (*p*).

IV. Curent omnino Beneficiarii, Locorumque piorum administratores, ne sua vel negligentia, vel culpa aedificia quaelibet, ac quoquo modo ad Ecclesias, Beneficia, sive pia Loca spectantia aliquam patiantur jacturam; eam enim propriis, quod plane jubebimus, resarcire cogentur fortunis (*q*), nec ipsos pigeat interdum campestres invisere fundos, & exploratis agricolarum operibus, solertes, diligentesque laudibus, praemiisque exornare, & desides, ac ignavos prudenter, opportuneque reprehendere. Quam sancte se gererent rurales praesertim Parochi, si collatis inter se consiliis, diuturnos illorum labores non modo fovere,

---

(*m*) S. Pius V. Const. *Cum onus* 89.

(*n*) Syn. Bajardi l. cit. §. *In instituendis*. Syn. Anconit. 1779. p. 2. t. 14. § *Fabricae*. Syn. Ferrarien p. 5 c. 10. n 4.

(*o*) Syn. Anconit. 1779. p. 2. tit. 14. §. *Praeterea*. Syn. Ferrarien. 1781. p 5. c. 11. n. 10.

(*p*) Syn Fulginat. 1722. c. 27. n. 10.

(*q*) Syn. Tusculan. loc. cit. n. 7. Syn. Anconit. loc. cit. §. *Caveant*. Syn. Ferrarien. loc. cit. n. 3.

sed etiam utiliores studerent efficere! Quid enim Ecclesiae rebus, quid ipsi Reipublicae utilius, quam si aucta in dies agricolarum industria, agrorumque fertilitate feliciter messis accrescat? Pudendum sane esset, si Beneficiorum, Locorumque piorum bona caeteris minus sata, minus culta, minusque frugiferis consita plantis viderentur, nec Nos Rectores, Administratoresque impune sineremus abire. Hos interea monemus, ne sua efficiant incuria, ut debitores opportuno tempore non excussi, impares mox evadant solvendo, nam meritas non effugient poenas, illataque proprio aere damna rependent (r).

V. Nemini administratorum liceat, quamquam restituendi sit animus, Ecclesiae, seu pii Loci pecuniam pro suis adhibère vel usibus, vel indigentiis, nec Nobis inconsultis, pignore etiam accepto mutuo aliis dare (s): Notabilem idcirco summam penes se nunquam retineant, sed aut in pietatis aede, aut alio in tuto loco deponant (t). Praeter ordinarias, atque in more jam positas, caeteris omnibus, ac praecipue gravioribus, quae scilicet aureorum romanorum decem attingant summam, sine Nostro permissu parcant impensis (u). Ubi in Dioecesi mos viget Solemnitatum, vel Officiorum occasione Confraternitatis, seu pii alicujus Loci sumptibus prandium confluentibus Sacerdotibus exhibendi, solitum servari indulgemus, dummodo frugalis sit mensa, qualem Sess. II. Tit. VI. Num. XI. praescripsimus, secus enim multa quemlibet emendabit excessum. Distinctis habeant Codicibus administratores universi dati, atque accepti rationes, & eorum accurata in scribendo diligentia nunquam desideretur. Meminerint tandem, quicumque ii sint, non sola Sacrae Visitationis occasione, sed sin-

(r) Syn. Tuscul. loc. cit. n. 8. Syn. Anconit. loc. cit. aliaeque.
(s) Syn. Tusculan. loc. cit. n. 12. Aliaeque.
(t) Syn. Ferrarien. 1781. p. 5. c. 10. n. 4.
(u) Syn. Ferrarien. loc. cit. n. 7. 8.

gulis prorsus annis (x) vel Nobismetipsis, vel Revisoribus a Nobis deputatis rationum Codices esse exhibendos, ut de tota judicare possimus administratione, eamque ferre sententiam, quam aequitas postulabit.

TITULUS XV.

De Sepulturis.

I. Quamvis antiquitus Fidelium cadavera dormitionis suae locum non modo extra Ecclesiarum ambitum, verum etiam extra ambitum Civitatum habuerint, eaque viguerit disciplina nedum sub Principum Ethnicorum imperio, sed & postquam Christiana Respublica pacem obtinuit; sensim tamen posterioribus factum est saeculis, ut primum Episcopi, ac Principes, mox vero fideles caeteri intra Ecclesias coeperint sepeliri: quod ex D. Maximi Taurinensis sententia (a) *ideo a Majoribus nostris provisum est, ut Sanctorum ossibus nostra corpora sociemus*. Hunc igitur morem jam dudum apud nos custoditum servari ita volumus, ut *ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in Coemeteriis, retineatur, &, ubi fieri potest, restituatur* (b). Quamobrem nullam Parochialem Ecclesiam suo carere volumus Coemeterio, quod in apto sit loco prope Ecclesiam sito, ab Episcopo, seu ab aliquo Sacerdote per eum deputato benedictum, pariete, vel spissa sepe ita vallatum, ut nec hominibus, nec belluis ad illud aditus pateat, a plantis, virgultis, herbisque omnino expurgatum, ac tandem januam, clavemque habens, & elatam e januae regione, con-

(x) Conc. Trid. sess. 22. de Ref. c. 9.

(a) D. Max. Taur. Homil. 81. col. 261. edit Rom. 1784.

(b) Rit. Rom. de Exequiis §. *Ubi viget*. Act. Mediol. Conc. Prov. I. p. 2. de Sepulturis.

spicuamque aspicientibus Crucem (*c*). Religionem a Coemeteriis eripere adeo impium foret, ut gravibus violatores puniendi essent poenis. Parochi igitur, quod ipsis magnopere commendamus, primi sint, qui religioni habeant nihil circa ea profanum, nihilque minus conveniens nec sibi, nec aliis permittere.

II. Sepeliendi jure Cathedrales tantum, ac Parochiales potiuntur Ecclesiae. Caeterae omnes aut illud ex privilegio adeptae sunt, aut ex consuetudine (*d*). Nulla tamen nova construi sepulcra poterunt in Ecclesiis quibuslibet jurisdictioni Nostrae subjectis, quin Nostra accesserit in scriptis venia (*e*), quam integrum Nobis non est Monialium concedere Ecclesiis (*f*). Humo alte effossa, undequaque circumdata muro, ac superiori munita fornice sepulcra quaeque erunt. Integris claudentur lapidibus solo ita adhaerescentibus, ut nec tantillum promineant, nec linquant rimas, unde malus effluat odor (*g*). A suppedaneis Altarium unius saltem cubiti spatio distabunt, si quae autem sub ipsis fuerint constructa, injecta continuo repleri volumus terra, quod nisi fiat, interdicemus Altaria (*h*). Nullibi supra terram Sarcophaga, nullibi capsae, in quibus Defunctorum cadavera sepeliantur (*i*). Nec in Choro sepulcris locus, nec in Praesbyterio, nisi facta a Nobis facultate, ac solum pro Sacerdotibus (*k*). Tria saltem habeat, si fieri commode possit, Parochialis unaquaeque Ecclesia sepulcra; pro Sacerdotibus alterum, alterum pro baptizatis infantibus ante

(*c*) Syn. Fulg. 1722. c. 22. n. 4. Syn. Tuscul. p. 3. c. 14. n. 13. aliaeque.

(*d*) Cap *Utraque* 13 q. 2. Clementin. II. de Sepulturis.

(*e*) Syn Bajardi p. 6. c. 2. §. *Nova*. Syn. Anconit. 1779. p. 3. t. 2. art. 1.

(*f*) Syn. Fulginat. 1722. c. 23. n. 5. Syn. Tuscul. 1763. p. 3. c. 14. n. 8. Vid. Luc. Ferrar. V. *Sepultura* n. 137.

(*g*) Act. Mediol. Conc. Prov. IV. t. de Sepult. §. *Fornicato*.

(*h*) Rit. Rom. de Exequ. Syn. Bajardi l. c. §. *Sepulcra*.

(*i*) S. Pius V. Const. *Cum primum*.

(*k*) Syn. Bajardi loc. cit. §. in *Praesbyterio*.

rationis usum defunctis, tertium pro adultis maribus promiscue simul, ac foeminis (*l*). Laudabilius vero esset, si separatim a viris sepeliri foeminae possent.

III. Ut sibi aliquis, suaeque familiae sepulcrum privativo vindicet jure, legitima Ordinarii facultas, necesse est, intercedat (*m*): sine qua nec illud alienare licebit, nec permutare. Nemini fas erit emortuales inscriptiones, epitaphia, aliaque id generis monumenta lapidibus insculpere sepulcralibus, aut Ecclesiae parietibus inscribere, nisi ea Nos probaverimus, ac necessariam in scriptis fecerimus potestatem; quod de laudationibus quoque intelligi volumus defunctorum, hae enim prius erunt, ipsique laudatores probandi (*n*). Liberum cuique est Ecclesiam, in qua suum sepeliatur corpus, eligere, licet gentilitii potiatur jure sepulcri. Quapropter & uxor invito marito, & pubes filius renuente patre sepulturae habet optionem (*o*). Nullo ante mortem designato, in majorum suorum quilibet condendus erit sepulcro, quo si careat, in Parochiali sua Ecclesia (*p*). Uxores virorum sequentur cineres, impuberumque cadavera, ut obtinet apud nos consuetudo, parentum electionem sequentur (*q*), quae ante ipsorum facta sit obitum. Ne vero fraudi unquam detur, aut dolo locus, de sepulturae electione vel scripto eligentis, vel duorum testium constare volumus fide. Unicum tamen sive Parochi, sive Confessarii etiam Regularis testimonium satis esse declaramus, dummodo pro sua non illud

(*l*) Rit. Rom. loc. cit.

(*m*) Syn. Tusculan. 1763. p. 3. c. 14. n. 9. Syn. Anconit. 1779. p. 3. tit. 2. Art. 1. §. *Tria*.

(*n*) Syn. Fulgin. 1722. Civit. Castellanae 1756. Tusculan. 1763. Civit. Castell. 1766. Anconit. 1779., aliaeque passim hoc titulo.

(*o*) Cap. 3. &. 4. *de Sepulturis* in 6.

(*p*) Cap. 1. & 3. de *Sepultur.* in 6.

(*q*) Cap. *licet* eod tit. in 6.

ferant Ecclesia (*r*). Sacerdotes interim universos tum Saeculares, tum Regulares monemus, ne quempiam ad vovendum, jurandum, vel alio quovis modo promittendum inducant, ut aut in suis Ecclesiis eligat sepulturam, aut electam non amplius mutet, id enim anathematis latae sententiae poena sibi reservata Pontifices Summi vetuerunt (*s*).

IV. Qui in Civitate, aut in Oppido domicilium habens ruri, nullo sibi designato sepulcro, moriatur, si & gentilitio careat, nec ultra tria passuum millia rus distet, in Parochiali sua Ecclesia est tumulandus, quemadmodum in rurali Parochia sua tumulandus est villicus, si in Civitate decedat (*t*). Ad propriam vero Ecclesiam, efferet Rector unusquisque sui Parochiani cadaver. Ultra trium milliariorum spatium, quod nostra dijudicandum erit sententia, a Parochiali domicilii sui Ecclesia defunctus in Parochia, in qua obierit, sepeliatur (*u*). Infantes apud suas nutrices defuncti, ad Parochiam pertinent parentum suorum. Orbati patre matreve, utroque destituti parente, Tutorum Sepulturae tradantur. Quod si neque Tutores habeant, neque majorum sepulcrum, ad eam deferantur Ecclesiam, in cujus Parochiali districtu Defuncti erant (*x*). Puellae educationis caussa in Monasteriis degentes, si non electa sepultura decedant, in sepulcro sepeliri debent majorum; quo si careant, in Parochiali paterni, materni, seu fraterni domicilii Ecclesia (*y*): Exterae in Parochia, ubi situm est

---

(*r*) S. C. C. 13. Febr. 1666. in Append. Syn. Civit. Castellanae 1756 n. 52.

(*s*) Cap. *Animarum* de sepultur. in 6. Clementin. *Cupientes* de poenis.

(*t*) Cap. *Is qui* de Sepultur. in 6. Bened. XIV. Notif. 105. n. 44. & 45.

(*u*) Idem loc. cit.

(*x*) Addit. ad Statut. Cler. Rom. §. 7. & 8. Bened. XIV. loc. cit. n. 56.

(*y*) Bened. XIV. Notif. 33. n. 16.

Monasterium. Eadem habenda est prorsus ratio tum quoad Adolescentes in Seminariis commorantes (*z*), tum quoad famulos, famulasque alibi habentes domum, si ultimum claudant apud suos Dominos diem (*aa*). Advenas, ac peregrinos Parochialis semper Ecclesia, in qua decedent, licet apud Regulares hospitentur, excipiat (*bb*). Canonici tandem, beneficiarii, Clericique, etiamsi sepulcrum habeant majorum, si nullam sibi designaverint sepulturam, ad Ecclesiam deferantur, cui sunt adscripti, dummodo sepulcrum in ipsa extet pro Praesbyteris, & Clericis constitutum (*cc*). Extra propriam Ecclesiam traditum humo cadaver effodiendum est, si petatur, suaeque Ecclesiae restituendum (*dd*). Nullo tamen casu exhumatio fiet, quin Nostra accesserit firmata scripto facultas.

V. Christianae communionis partem Ecclesiasticam esse sepulturam ita certum est, ut hac sint omnino privandi, qui sunt ab illa sejuncti. Caveant igitur Ecclesiarum universi Rectores tum Saeculares, tum Regulares, ne in sacro permittant sepeliri loco quemquam ex iis, quibus Rituale Romanum Ecclesiasticam Sepulturam denegandam esse praescribit (*ee*). Infantium sine Baptismo defunctorum cadavera neque in Ecclesiis humari debent, neque in Coemeteriis, sed in non Sacro prope Ecclesiam loco, ad hoc peculiariter constituto (*ff*). Quod si in defunctae matris utero obierint, cum ea sepeliantur (*gg*). Ubi de

(*z*) S. C. C. in Farsen. 26. Mart. 1707.

(*aa*) Bened. XIV. cit. Notif. 33. n. 17.

(*bb*) S. C. Episcoporum apud Gavant. in Addit. verb. *Sepulturis* n. 4.

(*cc*) S. C. Episcoporum in Forosempronien. 1. Septembr. 1690.

(*dd*) Cap. 5. *de Sepulturis*.

(*ee*) Rit. Rom. *de Exequiis* § *Quibus non licet*.

(*ff*) Syn. Bajardi p. 6. c. 2. §. *Infantium*, aliaeque.

(*gg*) Syn. Fulgin. 1722. c. 23. n. 6. Syn. Bajardi loc. cit.

Baptismo ipsis collato sit dubium, favorabilior tenenda est pars, propptereaque Sacrum sortientur sepulcrum (*hh*). Caeterum quoties, an concedenda sit, vel deneganda Catholicorum cadaveribus sepultura Ecclesiastica, quaestio oriatur, nihil marte proprio Parochi statuant, sed Nostrum opportune expectent, re ad Nos delata, judicium.

TITULUS XVI.

De Funeribus.

I. Qua materna sane complectitur charitate viventes, eadem prosequitur Ecclesia Defunctos justa unicuique Sacro Ordine, rituque persolvens. Exhibet ea Rituale Romanum, a cujus Sanctissimis Legibus aberrare ne paullulum quidem Parochis Nostris fas erit. Ut autem extrema isthaec Christianae pietatis officia, quae a primis usque temporibus fidelibus in more fuerunt, quaeque esse gratissima Deo persuasum jure optimo habebant, nulla obsolescant incuria, nulloque deturpentur abusu, quaedam hic subteximus monita, quae Synodali firmata Decreto, erunt in posterum religiose observanda.

II. Quum primum aliquis e vivis excesserit, moestus campani sonitus mortem nuntiabit, quo excitati fideles, & piis Defuncti animam sublevent precibus, & se quoque morituros meminerint. Nunquam tamen post primam noctis horam, vel ante diluculum, nunquam ultra semihorae spatium sonitus praedictus edatur. Curato de more corpore, quod semper maribus mares, foeminis foeminae praestabunt officium (*a*), vestibus induatur cadaver defuncti respondentibus con-

(*hh*) Gloss. in Cap. *Ecclesiam* de Consecr. dist. 1. Rit. Rom. de Baptismo.

(*a*) Act. Mediol. Instruct. funerum §. *Postquam*. Syn. Ferrarien. 1781. p. 3. c. 8. n. 2.

ditioni, floribus tamen, aureis, argenteisque monilibus, gemmis, aliisque quibuslibet vanitatis insignibus ita proscriptis, ut iis ornatum offerre, Parochis nefas esse velimus (*b*). Infantibus Sacro Baptismate ablutis, atque ante septennium defunctis, quorum in libro vitae scripta sunt nomina, sicuti festivus campani aeris convenit sonitus (*c*), ita decens etiam debetur ornatus. Laicorum corpora sodalitii Sacco indui pro libito poterunt, sed non Clericorum, quibus alio quocumque Regularis etiam Familiae interdicto habitu, sola imponenda sunt indumenta suscepto Ordini convenientia (*d*).

III. Curent omnino Parochi, ne sua negligentia diutius, quam par est, cadavera Domi relinquantur (*e*), ea vero nec ante Solis ortum, nec post occasum ad Ecclesiam deducant (*f*). Quod si aliqua urgeret ratio, qua exanime alicujus corpus in noctis silentio efferendum esse videretur, nunquam id fieri inconsultis Nobis, vel Vicario Nostro Generali permittant (*g*). Defunctorum corpora sive domi detineantur, sive in Ecclesia, nec sine luminibus esse decet, nec sine custodibus, quos sub poenis arbitrio Nostro irrogandis ita volumus esse compositos, ut ipsorum modestia funeris moestitiae respondeat (*h*). Non obtenta a Nobis in scriptis venia, nullo sub praetextu exenterari cadavera liceat, aut incidi (*i*), atque ea concessa exenteratio, & incisio, extra Sacrum semper fiat locum. Violenta abreptus morte non prius efferatur,

(*b*) Syn. Civit. Castell. 1766. act. 3. c. 14. n. 3.
(*c*) Rit. Rom. de Exequiis Parvul. §. *Coeremonias*.
(*d*) Edict. Clem. XI. 9. Januar. 1705.
(*e*) Syn. Civit. Castel. loc. cit. Syn. Anconit. 1779. p. 3. t. 2. § *Postquam*.
(*f*) Edict. Clem. XI. 9. Decembr. 1704.
(*g*) Bened. XIV. Notif. 36. n. 25
(*h*) Syn. Fulginat. 1722. c. 23. n. 11.
(*i*) Bened. XIV. Notif. 66. n. 11.

quam monitis Curiae Ministris, qui corpus de more explorent: Iis autem nectentibus plus aequo moras, liberum sit Parocho illud deportare ad Ecclesiam, actisque parentaliis terrae mandare (*k*). Nullum tamen sepeliri posse volumus corpus, nisi duodecim saltem ab obitu effluxerint horae: Puerperas vero, ex aquis extractos, & repentino quolibet oppressos morbo, nisi horae effluxerint vigintiquatuor (*l*).

IV. Nec privatim unquam efferantur cadavera, nec domo, aut aliunde extrahantur sine praesentia Parochi, nisi fortasse accitus accedere recusaverit, aliumque in sui locum sufficere noluerit Sacerdotem (*m*). Ad funus quotquot vocati erunt, Regularibus minime exceptis, etiamsi humandum sit in eorum Ecclesia cadaver, Parochialem defuncti designata hora adeant Ecclesiam (*n*), & si Canonici aut Cathedralis, aut Collegiatae interesse funeri debeant, ad Cathedralem respective, aut Collegiatam Ecclesiam conveniant (*o*). Unica elevata Cathedralis ejusdem, seu Collegiatae Ecclesiae Cruce, si Capitula aderint (*p*), sin minus servata Ecclesiarum consuetudine (*q*), tum Saeculares Presbyteri, ac Clerici, tum Regulares, atque etiam Sodalitiorum confratres incedant eo prorsus ordine, iisque induti vestibus, quemadmodum

(*k*) Syn. Tuscul. 1763. p. 3. c. 14. n. 23. Syn. Civit. Castel. 1766. loc. cit. n. 20. Syn. Anconit. 1779. p. 3. t. 2. §. *Qui violenta*. Syn. Ferrarien. 1781. p. 3. c. 8. n. 4.

(*l*) Act. Mediol. p. 4. Instruct. funer. §. *Ne corpus*, & Syn. plurimae.

(*m*) Bened. XIV. Notif. 105. n. 25.

(*n*) Rit. Rom. tit. Exequiar. Ord. §. *Constituto*.

(*o*) S. R. C. in Viterbien. 25. Jun. 1611. ap. Pignatell. Tom. 3. Consult. 51 n. 6.

(*p*) S. R. C. in Fossanen. 21. Jul. 1645. apud Monacel. tit. 5. form. 7. n. 37. Syn. Tuscul. 1763. p. 3. c. 14. n. 18. Syn. Civit. Castelli act. 3. c. 14. n. 6.

(*q*) Syn. Fabretti c. 25. §. *Regulares*. Syn. Bajardi p. 3. c. 19. De jur. Paroch. servand. §. *Ab insignibus*. Bened. XIV. Notif. 105. n. 25. 26. & 27.

Sess. I. Tit. VI. Num. IV. de sacris agentes supplicationibus indiximus. Caveant Sacerdotes, ac Clerici, ne pallio unquam, pileoque in associando funere utantur, nisi ingruente pluvia, vel alia rationabili cogente caussa (*r*). Caveant vero Parochi, ne aliam in efferendis cadaveribus viam designent, quam quae ab aedibus defuncti recto ad Ecclesiam tramite ducit (*s*). Nunquam tandem, quoad fieri possit, efferantur ad Ecclesiam festivis diebus cadavera, aut saltem nonnisi post Vesperas. Id autem solemnioribus anni Festivitatibus omnino sit nefas (*t*).

V. Exequiarum ordo ad Romani Ritualis praescriptum integre perficiatur, & Parocho praecinente, funebre peragatur officium, quod quidem ita praescribimus, ut, si qua legitima vigeat tum quoad Stolae delationem, tum quoad absolutionem super cadaver faciendam contraria aliquo in casu consuetudo, eam tollere nullo modo velimus (*u*). In Ecclesiis ruralibus occasione funerum Parochi advocentur propriae classis, neque exteri Sacerdotes locum habeant, nisi vel in eorum supplementum, vel ultra eorum numerum (*x*), iique omnes defuncti adjuvent Parochum justa persolventem. Quod si inopiae caussa neminem advocari contigerit, alta, & intelligibili voce preces omnes a Rituali statutas Parochus ipse recitet, uno saltem, aut altero indutosacco sodalitii alicujus confratre (*y*) aspersorium, ac thuribulum ministrante. Illud omnino curandum esse decernimus, *quod antiquissimi est instituti*, ut Missa praesente defuncti corpore pro eo celebretur, antequam sepulturae tra-

EE

(*r*) S. R. C. approbant Clemen. XI. 9. Decembr. 1704.
(*s*) Act. Mediol. p. 4. Instruct Funer. §. *Cadaver.*
(*t*) Act. Mediol. loc. cit. §. *Curandum*.
(*u*) Syn. Fabretti, & Syn Bajardi loc. cit.
(*x*) Syn. Fabretti loc. cit. § *Ceras*. Syn. Bajardi p. 6. c. 3.
(*y*) Syn. Anconit. 1779. p. 3. tit. 2. art. 2. §. *Ne unquam*.

datur (z). Quamobrem ubi nulla suppetant defuncto bona, nec ad unam saltem Missam celebrandam viam aperiat aut charitas Parochi, aut pia fidelium liberalitas, esse Nos illico monitos volumus, eam enim vel ipsi celebrabimus, vel, nulla interposita, mora curabimus celebrandam (*aa*). Caeterum, qui mortuis veniam, pacemque precantur, sic pie, devoteque funebre persolvant officium, ut interiorem in Deum religionem, & in animas piacularibus flammis addictas commiserationis sensum ex exteriori modestia, ac corporis compositione demonstrent. Caveant in primis, ne vile inhiare videantur lucrum, & *propter hoc*, ut ajebat Bernardus, *Ecclesias frequentent*, *Missas celebrent*, *Psalmos decantent* (*bb*). *Sancta*, *&* *salubris est cogitatio pro Defunctis exorare*, *ut a peccatis solvantur* (*cc*), adeoque statutas ab Ecclesia precationes, ac coeremonias negligere summam redoleret impietatem. Exhorrescant Redemptoris sententiam: *In qua mensura mensi fueritis*, *remetietur vobis* (*dd*), utque opportunum in necessitate provideant sibi, suaeque animae auxilium, defunctorum animas & religiosa precandi ratione, & pio cordis affectu apud Deum adjuvent.

VI. Antiquissima obtinuit jam consuetudo, ut pro defunctis fidelibus fierent oblationes, quas editis progressu temporis legibus ita Ecclesia probavit, ut certa constituta illarum ratione nec immodice crescerent Ministrorum aviditate, nec iniqua haeredum duritie obsolescerent. Id hisce etiam in Dioecesibus praestitere Nostri Praedecessores (*ee*) quaedam de-

(*z*) Rit. Rom De Exequ. §. *Quod antiquissimi*.

(*aa*) Bened. XIV. Notif. 36. n. 16.

(*bb*) Bernard. Serm. 6. in Psalm. *Qui habitat*.

(*cc*) 2. Machab. 12. 46.

(*dd*) Matth. 7. 2.

(*ee*) Syn. Castelli c. 28. Syn. Fabretti c. 25. Syn. Bajardi p. 6. c. 3. hoc tit.

cernentes tum Parochis, tum caeteris Sacerdotibus, ac Clericis convenientibus solvenda in funeribus emolumenta. Quum autem ex locorum, ac circumstantiarum varietate eveniat, non eamdem ubique servari funerariam, quam dicunt, Taxam; ne, aut debita fraudentur remuneratione labores, aut Ecclesiae Ministri mercenariorum more, quod sane horrendum esset, ac omni dignum execratione, ad propriam voluntatem exigant suae operae pretium, proximae occasione Visitationis examinandas Nobis reservamus singularum Ecclesiarum taxas, quas legitima consuetudine inductas, ac temporum, locorum, personarumque conditioni accomodatas cum iis prius, quorum interest, auditis, Nostra probaverimus auctoritate, inviolate observari statuemus, & ne vel errori futurus sit unquam in posterum locus, vel fraudi, authentica earum exemplaria in Nostra perpetuo custodiri mandabimus Cancellaria (*ff*). Interim vero, ut omnis omnino avaritiae, ac turpis quaestus a sacris funeribus removeatur suspicio, nec ovium potius lanam, quam oves ipsas inhumani quidam Pastores quaerant, Synodali lege sub gravibus poenis arbitrio Nostro irrogandis praecipimus, 1. Ne pactiones ullas cum defunctorum haeredibus pro exequiis, & funeribus neque Parochi, neque alii quicumque faciant, aut quicquam ab iis tamquam pretium audeant exigere (*gg*). 2. Ne qui in funere aliquam ponunt operam, pignora capiant, quibus sibi caveant de funerali eleemosyna, aut de eorum operae in funere praestitae mercede (*hh*). 3 Ne funera ob haeredum inopiam protrahantur, vel ob non impensam eleemosy-

(*ff*) Syn. Tuscul. 1763. p. 3. c. 14. n. 15. Syn. Ferrarien. 1781. p. 3. c. 8. n. 2. 29.

(*gg*) Act. Mediol. Conc. Prov. IV. p. 2. tit. de funerib. §. *Ne Pactiones*

(*hh*) Act. Mediol. loc. cit. §. *Ne Parochi*.

nam retardetur cadaverum sepultura (*ii*). 4. Ne, si de miserabilibus agatur personis, aliquid vel minimum sibi tribui Parochi, Æditui, Clericive praesumant, neque in hunc finem colligendas eleemosynas curent, cum omnia sint prorsus gratis expedienda, ne consuetis quidem exceptis juxta Ecclesiae, locique morem, luminibus accendendis (*kk*). 5. Ne tandem in exterorum funeribus, atque exequiis majus recipere, vel petere emolumentum contendant, quam quod elargiri incolae consueverunt (*ll*).

VII. Constituta quaecumque sit pro funeribus, exequiis, sive anniversariis eleemosina, nemini nisi praesenti tribuatur, nemini, qui vel non tempestive conveniat, vel si in Civitatibus, atque Oppidis funus agatur, talari veste, ac superpelliceo non fuerit indutus (*mm*), vel functionibus non integre expletis discesserit. Eadem multari illos volumus poena, atque etiam arbitrio Nostro graviore, qui minus religiose in iis peragendis se gesserint, suamque objecerint fidelibus non in aedificationem, sed in destructionem praesentiam. Advocatis item ad officia Sacerdotibus, & Parochis, licet ejusdem fuerint Congregationis, & Classis, si nullo legitimo, quod constet, impedimento detentis personaliter non accesserint, quin stipendia dentur Missarum, prohibemus (*nn*). Caeterum ne Parochi, qui spiritualem viventibus curam impendunt, debito sibi praemio a defunctis priventur, aequissima sancitum est lege, ut si qui extra suam sepeliantur Parochiam, ex iis, quae ad aliam Ecclesiam

---

(*ii*) Syn. Tuscul. loc. cit. n. 16. Syn. Civit. Castelli 1706. act. 3. c. 14. n. 4.

(*kk*) Rit. Rom. de Exequ. §. *Pauperes*. Act. Mediol. Conc. Prov. I. tit. de Funeri. §. *Miserabiles*.

(*ll*) S. C. C. in Thelesina 18. Jan. 1673. in dub. funeral. 28. Jul. 1673. S C. Episcoporum in Cassanen. 5. Maii 1617.

(*mm*) Syn. Barusii tit. 25. §. *Cum ad nostrum*. Syn. Feretr. 1734. t. 22. c. 3.

(*nn*) Syn. Ferrarien. 1781. p. 3. c. 8. n. 32.

funeris caussa allata sunt, pars aliqua detrahatur defuncti Parochiae tradenda (*oo*). Hanc quam & portionem canonicam, & Quartam funeralem vocant, omnino solvendam Parochis esse juxta regionis morem ita districte indicimus, ut Regulares ipsi nulla gaudere debeant exemptione, eamque non solum ex intorticiis, & candelis, quae circa cadaver, verum etiam ex illis, quae in die funeris accendentur solvere teneantur (*pp*); Quae tamen non nisi funerali toto completo officio amoveantur. Ubi vero Parochiali aliqua vacante Ecclesia deputatus a Nobis Oeconomus praedictam lucratus sit Quartam, sic eam dividi inter ipsum, & Ecclesiam volumus, ut novo tradatur Parocho, quicquid superererit cerae (*qq*), quod aeque viciniori illi Parocho injungimus, qui, ut suo praescripsimus loco (*rr*), defuncti Parochi funebre officium peregerit.

VIII. Sicuti pastoralem Episcopi sollicitudinem, qua pro sui gregis salute vigilat, obedientia, reverentiaque, dum vivit, rependere subditi debent, ita aequum est, ut Sacrificiis, ac precibus ipsius animae requiem, pacemque exorent, cum universae carnis ingressus est viam (*ss*). Christianae hoc pietatis officium eo vehementius a Clero, populoque Nostro expectamus, quo majori illos charitate prosecuti jugiter sumus. Actis igitur parentaliis ab Episcoporum Coeremoniali pro defuncto Episcopo indictis (*tt*), Sacerdotes non pigeat singulos, juxta laudabile D. Caroli praescriptum, (*uu*) sequentibus novem diebus, quibus id

---

(*oo*) Cap. *Nos instituta*. Cap. *Relatum*. Cap. *De his*, &. Cap. *Super* de Sepultur.

(*pp*) Bened. XIII. Const. *Romanus Pontifex* 28. Apr. 1725.

(*qq*) Syn. Fabretti c. 25. Syn. Bajardi p. 6. c. 3.

(*rr*) Sess. II. Tit. VI. Num. XV.

(*ss*) Act. Mediol. p. 1. Conc. Prov. IV. p. 2. De funeribus §. *Sicuti*.

(*tt*) Coerem. Episcop. lib. 2. c. 38.

(*uu*) Act. Mediol. loc. cit. §. *Quamobrem*.

per Rubricas liceat, *de requiem*, ut ajunt, Missam pro demortuo Antistite suo celebrare, vel saltem orationem dicere, *ut in aeterna recipiatur tabernacula*. Praecipimus, ut in Cathedralibus, ac Collegiatis Ecclesiis Nostris praeter solemne anniversarium pro ultimi defuncti Episcopi anima in ejus die obitus celebrandum, alterum etiam per singulos annos in perpetuum peragatur pro omnibus defunctis Episcopis postridie illius diei, quo fit Defunctorum omnium commemoratio (*xx*). Quod quidem pro demortuis etiam Canonicis, aliisque de Capitulo Ecclesiae suae a singulis Capitulis celebretur (*yy*). Idem suis praedecessoribus officium Parochos decet omnes praestare (*zz*). Summi Romani Pontificis universalis Ecclesiae Pastoris morte occurrente, certum cum pervenerit nuncium, praevio in omnibus Ecclesiis lugubri Campanarum sonitu, in Cathedrali Ecclesia, aeque ac in Collegiatis solemnes pro eo cum Missa propria celebrentur exequiae (*aaa*), quibus absolutis, quotidianae in Ecclesiis iisdem habendae erunt pro novi Pontificis electione constituto ritu supplicationes. Universos interea Dioecesium Nostrarum fideles hortamur, ut frequenter meminerint, *eandem sibi facturum Dominum misericordiam, quam ipsi fecerint mortuis* (*bbb*). Quamobrem neminem pigeat, illos, si opus sit, etiam efferre, quod magnum sane est christianae charitatis, humilitatisque officium; dummodo tamen Ecclesiastici non efferant Laicos, nec inferioris ordinis Clericos, qui in superioribus sunt constituti (*ccc*).

(*xx*) Coerem. Episcop. l. 2. c. 37. Conc. Rom. tit. 15. c. 5. Act. Mediol. Conc. Prov. III. De iis, quae ad Divin Offic. pertinent. §. *Postridie*. Vid. Sess. II. Tit. III. Num. VI.

(*yy*) Act. Mediol. loc. cit §. *Die proxime*.

(*zz*) Act. Mediol. Conc. Prov. VI. p. 3. quae ad funer. pertinent. §. *Parochus*.

(*aaa*) Act. eadem loc. cit. Quae ad Divin. Offic. pertinent. §. *Summo Pontifici*.

(*bbb*) Ruth. 1. 8.

(*ccc*) Act. Mediol. loc. Quae ad funer. pertin. §. *Mortuum*.

Ut autem libere quilibet hanc in defunctos exerceat misericordiam, non tantum alicujus Confraternitatis sacco indutos esse volumus pios hujusmodi portitores, verum etiam sacci ejusdem caput opertos cucullo. Parochis tandem omnibus in memoriam redigimus, edendum omnino circa primam noctis horam aeris campani sonitum, ut populi pro defunctis fidelibus orent, onusque ipsis impositum conscribendi singulorum Parochiae suae defunctorum mortem, quod &, nulla interposita mora, faciendum est, & ea diligentia, ut regulae a Romano Rituali praescriptae integre, exacteque observentur.

TITULUS XVII.

De Laicorum Confraternitatibus, Societatibus, seu Sodalitiis.

I. Laicorum Confraternitates, quas priscis etiam temporibus habuit Ecclesia, ac probavit, ideo institutae fuerunt, ut insimul congregati fideles piis operam darent exercitationibus, certisque opportune conjuncti legibus facilius, ferventiusque Deo deservirent. Cum vero ea sit miseranda rerum humanarum conditio, ut a sui instituti ratione sensim declinent, atque in deterius vergant, ne quos charitas conjungere debet, cupiditas perturbet, ac dividat, pietatisque vel negligant opera, vel refugiant stati adfovendam, augendamque pietatem coetus, ad hos nunc Nostram convertimus sollicitudinem, quae ipsis agenda sunt, & quae praecavenda Synodali sanctione statuentes. Quum autem ut plurimum suum ab exordio exitum res auspicentur, decernimus nec in Urbe, nec in Dioecesi ullam legitime censendam esse institutam, sive instituendam Confraternitatem, quamvis in Regularium, aut etiam in soli Lateranensi id

foret Ecclesia, nisi Episcopi accesserit ad institutionem consensus, atque adprobatio (*a*).

II. Proprias unaquaeque Societas, suoque instituto accommodatas habeat Constitutiones, quae tamen futiles erunt, ac roboris vacuae, nisi recognitae ab Episcopo fuerint, ejusque auctoritate munitae (*b*). Singulis igitur praecipimus Dioecesis Nostrae Societatibus, ut intra tres menses ab hujusce Synodi publicatione ad Nos deferant, quas habent, Constitutiones, ac Regulas, ut eas singillatim revidere, corrigere, meliorare, ac tandem confirmare, prout Nobis in Domino magis expedire videbitur, opportune possimus (*c*). Decreto huic Nostro parere intra praescriptum terminum renuentes, suppressas, extinctasque, illico fore declaramus, & omnibus privilegiis, atque Indulgentiis privatas, eosque Ecclesiastico interdicto subjectos, qui juris servato ordine moniti, illas frequentare, hac non obstante sanctione Nostra praesumpserint (*d*). Monitos hic tamen volumus societatis cujuscumque Confratres, regulas, constitutionesque debere potissimum in id spectare, ut piae exercitationes, communes nempe ad Deum, atque ad Deiparam precationes, Ecclesiarum, infirmorumque visitationes, susceptiones Sacramentorum, aliaeque hujusmodi operae Christiano homine dignae statis habeantur diebus, ac rite, sancteque adimpleantur; aliter enim inutiles prorsus, otiosaeque censendae erunt tum Sodalitates ipsae, tum leges, adeoque a Nobis jure merito supprimendae (*e*).

(*a*) Clem. VIII. Const. *Quaecumque* 7 Decembr. 1604. Paullus V. Const. *Quae salubriter* 23. Novembr. 1610.

(*b*) Cit. Const. *Quaecumque* § *Statuta*.

(*c*) Syn. Fulginat. Baptistelli 1722. Urbinat. Guglielmi 1753. Syn. Hortan. Lanucci 1756. Syn. Viterb. Oddi 1762. Syn. Civit. Castelli Lactantii 1766. Omnes hoc tit.

(*d*) Syn. praedictae omnes.

(*e*) Act. Mediol. Conc. Prov. II. t. 3. Decr. 22. §. *Si quae*.

III. Nemo inter sodales Societatis cujuscumque admittatur, qui Fidei non bene calleat doctrinam: nemo quem morum non commendet honestas (*f*). Qui Societati pecuniam debent, quique adversum eam litem agunt, aeque respuantur (*g*). Litigiosi, quaeruli, turbas excitantes, inhoneste, turpiterque viventes, in Societatem etiam adscripti, si moniti non resipuerint, ex Confratrum albo auctoritate Nostra expungentur (*h*). Postulantes admitti in generali canonice coacto conventu a Priore, seu Praefecto per secreta proponantur suffragia, nec censeantur admissi, nisi duabus ex tribus congregatorum partibus suffragantibus (*i*). Legitime adscripti tyrocinii loco diligentiam patefaciant suam, singula quaeque exactissime explendo officia a Constitutionibus praescripta, nec tamen nisi per annum probati ad munera Societatis obeunda eligantur. Suum porro quisque habeat saccum non ad vanitatem compositum, sed ad humilitatem, quo in Civitatibus praecipue, atque in Oppidis quicumque careat, omnino e Societate ejiciatur, dummodo illum Societas suppeditare non soleat, quo casu nunquam penes aliquem ex Sodalibus retineri; sed in assignato Societatis armario volumus custodiri (*k*). Nemo tamen saccum induat, quin prius a Parocho, vel ab alio Sacerdote benedictus fuerit (*l*). Nemo sacco indutus aut arma deferat (*m*),

S. C. particular. in Fulginat. Synodi 25. Jul. 1723. Syn. Civit. Castelli 1766. act. 3. c. 9. n. 1

(*f*) Act. Mediol. Conc. Prov. V. de Confratr. §. *Ne cujusvis* & §. *Ne facinorosi*.

(*g*) Syn. Anconit. 1779. p. 3. tit. 6. §. *Antequam*.

(*h*) Act. Mediol. loc. cit. §. *Si qui*. S. C. Episcoporum Episcopo Urbanien. 26. Januar. 1697.

(*i*) Syn. Callien. 1708. tit. 5. c. 4. §. 2.

(*k*) Syn. Feretran. 1734. t. 25. c. 2. Syn. Civit. Castelli 1766. Act. 3. c. 9. n 5.

(*l*) Act. Mediol. Conc. Prov. V. p. 3. Quae ad Scholas pert. §. *Ne indisciplinatorum*.

(*m*) Act. Mediol. §. *Nemini*.

aut cursitare per vias, plateasque, aut garrire, ludere, & prae foribus Ecclesiae indignam trahere moram audeat sub poenis arbitrio Nostro irrogandis (*n*).

IV. Ad sacras accedere supplicationes singulae teneantur Confraternitates, quae propria ornatae sunt veste. Indictas igitur Sess. I. Tit. VI. Num. II. tum iis, tum Confratribus, si defecerint, poenas iterum pronunciamus. Veste, quam saccum, ut vocant, diximus, induti Confratres aderunt, nec, si generales non fuerint aut ab Ecclesia, aut a Nobis demandatae supplicationes, pauciores unquam, quam duodecim, pueris semper, ac rudioribus, incomptisque hominibus penitus exclusis (*o*). Digniorem locum Societates obtinebunt in Processionibus illae, quae in quasi possessione jam sunt juris praecedendi (*p*): si autem processionaliter augustissima deferatur Eucharistia, Sanctissimi Sacramenti Societas locum sibi prae caeteris vindicabit honorificentiorem (*q*). Duo ex qualibet Confraternitate sodales sorte quotannis delecti, quoties in Civitate, aut in Oppidis ad aegrotos deferri contigerit, Eucharisticum Sacramentum Saccis amicti, accensisque facibus comitentur; quatuor tamen ex ejusdem Sacramenti sodalibus idem ei semper praestent obsequium, totidemque, Clericis deficientibus, peristromatis hastas sustineant. Quoniam vero in Societatis hujus sermonem incidimus, Parochorum Nostrorum pietatem, religionemque obtestamur, excitamusque, ut eam in suis quique Ecclesiis ad majorem Dei gloriam erigendam curent, iisque propterea & opem, & operam Nostram promittimus non defuturam. Illud hic addere juvat,

(*n*) Syn. Civit. Castelli loc. cit. Syn. Ferrarien. 1781. p. 5. c. 6. n. 11.

(*o*) Syn Fulginaten. 1722. c. 25. n. 7.

(*p*) Syn. Ferrarien 1781. p. 5. c. 6. n. 10.

(*q*) S. R. C. in Vercellen. 18. Junii 1695., in Cremonen. 3. August. 1697.

quod universos Confraternitatum sodales reminisci volumus, prudentissime cautum a Praedecessoribus fuisse Nostris, ne quis unquam pluribus adscribi praesumat Sodalitatibus ea constituta cuique poena, ut illico nullius habeatur Confrater (*r*). Hanc Nos renovantes integre legem decernimus, ne ab una quidem ad aliam posse se quemquam transferre Confraternitatem, nisi legitima accesserit caussa a Nobis scripto probanda (*s*).

V. Exploratum jam est nihil ad Societatum incrementum, ordinem, tranquillitatemque magis conferre, quam si ad praecipua obeunda officia ii eligantur sodales, qui prudentia, rerum agendarum peritia, ac morum in primis honestate, gravitateque caeteris praeeuntes, & proprio queant satisfacere muneri, & alios in officio continere. Adveniente igitur a Constitutionibus praescripta quotannis die, praevio de more aeris campani signo, habebuntur pro Officialium electione comitia. De iis autem quocumque tempore, & quacumque ex caussa habendis, sub nullitatis poena, aliisque arbitratu Nostro ferendis, monendi prius erimus, ut in Civitate vel per Nos, vel per Vicarium Nostrum Generalem, in Oppidis per Vicarios Foraneos, si opportunum videbitur, pro libito adesse possimus (*t*). In Dioecesi autem semper praeesse ipsis Parochos, singulos nempe pro suae Parochiae Sodalitatibus, expresse jubemus (*u*). In officiorum quorumcumque designatione omnibus penitus postha-

(*r*) Syn. Castelli c. 25. §. *Nemo* Syn. Fabretti c. 26. §. *Prudetissime*. Syn. Bajardi p. 5 c. 2. §. *Vetitum*. S. C. C. Episcopo Urbanien. 8. Novembr. 1754.

(*s*) Syn. Anconit. 1779. p. 3. t. 6. §. *Pluribus*.

(*t*) S. C. C. in Asculana 3. Mart. 1725. Bened. XIV. Notif. 105. n. 99. Syn. Bajardi p. 5. c. 2. § *In electione* Syn. Fulginaten. 1722. c. 25. n. 12. Syn. Civit. Castelli 1766. act. 3. c. 9. n. 6. Syn. Anconit. 1779. p. 3 c. 6. §. *Quumque*. Syn. Ferrarien. 1781. p. 5. c. 6. n. 17.

(*u*) Syn. omnes sup. cit. loc. cit.

bitis humanis rationibus strenue curandum est, digniores eligi, quod distributivae justitiae ordo in comitiis omnibus postulat, & Sodalibus universis cordi esse potissimum volumus. Electiones quaecumque per secreta semper suffragia fiant, nec quisquam censeatur electus, in quem duae ex tribus suffragiorum partibus non consentiant (*x*). Quod si scrutinii experimento ter facto neminem electum fuisse constiterit, electio ad Nos devolvetur (*y*). Priores, &, si quos alios in more sit Societatum habere, officiales suum post annum munus dimittant: Syndici vero, seu Oeconomi, ac temporalium administratores bonorum post triennium. Legitime electi adprobationem obtinere debebunt omnino Nostram (*z*), nec munere expleto eligi iterum poterunt, vel confirmari sine speciali facta a Nobis facultate (*aa*). Delatum sibi officium sub poena juliorum trium Societati applicandorum nemo recuset, nisi de legitimo impedimento a Nobis recognoscendo docuerit (*bb*). Nemo vero illud adgrediatur, quin prius jurejurando promittat fideliter se in sua administratione gesturum, Nobisque suo tempore, & loco integram redditurum rationem (*cc*). Ut autem quaelibet a Deo sumat administratio principium, electi omnes, antequam muneris sui posses-

(*x*) Vide supra Num. III.

(*y*) Syn. Fabretti c. 26. §. *Singulis annis*. Syn. Bajardi loc. cit. S. C. C. in Sancti Marci 13. April. 1726. ad 2.

(*z*) S. C. Episcoporum 11. August. 1684. ap. Syn. Bononien. Boncompagni lib. 4. c. 5. S. C. C. in Mileten. 18. Jul. 1747. Bened. XIV. loc. cit. Syn. Civit. Castelli loc. cit. n. 7. Syn. Ancont. loc. cit. §. *Confraternitatum*.

(*aa*) S. C. C. in Civit. Plebis 22. Mart. 1760. Syn. Fulginaten. 1722. c. 25. n. 8. Syn. Civit. Castelli loc. cit. n. 8. Syn. Ferrarien. loc. cit. n. 16.

(*bb*) S. C. Particular. in Fulginaten. loc. cit. n. 8. Syn. Civit. Castelli loc. cit.

(*cc*) Act. Mediol. Conc. Prov. I. p. 3. de Pior. Locor. administ. §. *Administratores*. Syn. sup. cit.

sionem ineant, Sacramentis Poenitentiae, atque Eucharistiae in Societatis Oratorio, si commode id fieri possit, animam expiare, ac simul roborare non praetermittant (*dd*).

VI. Nullibi unquam, nisi in Sacrario, vel in Oratorio comitia habeantur Sodalitatum (*ee*), atque ita modeste, compositeque suam quisque ibi aperiat sententiam, ut sanctitas postulat Loci. A suffragio ferendo abstineant vigesimo minores anno (*ff*), iique omnes, quorum in primo, aut secundo gradu affines, vel consanguineos tractanda negotia respiciunt. Haec autem, cujusque sint generis, nunquam ad comitia deferantur, nisi Nobis prius a Praeside Sodalitatis consultis (*gg*). Praeter ordinarios sumptus caveant Officiales, ne sine Congregationis consensu in extraordinariam quamcumque expensam summam insumant aureis quinque majorem. Ipsa autem Congregatio caveat, ne sine expressa licentia Nostra majorem aureis decem expendendam summam decernat(*bb*). Secus agentes singuli & proprio solvent expensas aere, & poenas arbitrio Nostro luent (*ii*). Easdem, atque etiam pro circumstantiis majores subibunt poenas, si, Nostra non obtenta in scriptis venia, litem, caussamque in Tribunali praesertim laico intentare praesumpserint (*kk*), nec impune abibunt, si eleemosynarum delectis quaestoribus, eos non facta a Nobis

(*dd*) Syn. Callien. 1708. t 5 c. 4. §. 4. Syn Ferrar. l. cit. n 19.

(*ee*) Act. Mediol. Conc. Prov. V. p. 3. tit. Quae ad Scholas, Confratrias &c.

(*ff*) Syn. Callien loc. cit. § 6. Syn. Feretran. 1734. t. 5. c. 3. Syn. Fulginaten. 1722 c. 25 n 12.

(*gg*) Syn. Civit. Castelli loc. cit. n. 11.

(*hh*) Act. Mediol. Conc. Prov I. p. 3 De Pior. Locor. administr. §. *Quos autem* Syn. Hortan. 1756. t. 4. c. 9. n. 19. Syn. Civit. Castelli loc. cit. n. 10.

(*ii*) Syn. sup. cit.

(*kk*) Syn. Aesina 1727. pag. 233. Syn. Urbinaten. 1753. sess. 4. t. 6. §. 3. Syn. Civit. Castelli loc. cit.

potestate sive per Urbem, sive per Villas, Pagosque mittant (*ll*), aut comessationes, pompasque inutiles ex collectis pecuniis instituant. Has vero pecunias singulis quibusque collectas vicibus denunciari in Dioecesi Parochis volumus, qui eas in librum distinctum referent pro reddenda quotannis Vicario Nostro Generali erogationis ratione (*mm*). Caveant tamen Parochi, ne sese in administratione eleemosynarum, redituumque Societatum immisceant (*nn*), nec ferendi in comitiis suffragii sibi jus arrogent (*oo*), quippe qui praeesse tanquam Judices debent, non tanquam partes adesse, nec studia in diversa rapi, sed pacem, concordiamque fovere, ac laudabiles praecipue consuetudines pro viribus tueri, servandasque curare. At majore etiam ratione Parochorum jura sarta tecta praestare tenentur tum Confratres singuli, tum integrae Confraternitates. Quamobrem quae sunt in Parochialibus Ecclesiis, sive in Oratoriis, Capellisque illis adnexis erectae, a Parochi nutu in obeundis functionibus pendere debent omnino (*pp*; quae vero in aliis ita se gerere, ut nihil ex iis, quae ad Parochos sive de jure, sive ex consuetudine quoquo modo spectare possunt, usurpare nunquam quacumque ex caussa praesumant.

VII. Quae de Locorum Piorum bonis recte administrandis, fideliterque custodiendis superiori T. XIV. Sessionis hujus sancivimus, ea tum a Societatibus universis, tum ab ipsarum Officialibus adamussim observanda esse decernimus, iisdem omnino interpositis

(*ll*) Syn. Urbinaten. loc. cit. §. 9 Syn. Bajardi p. 5. c. 4.
(*mm*) Cit Syn. Urbinaten. loc. cit.
(*nn*) S. R. C. in Decret. General. Urb. & Orb. approb. a Clem. XI. 10. Decembr. 1707. relat. in Append. num. XX. ad 31. & 32. S. C C. in Novarien. 24. Septembr. 1718. ad 7.
(*oo*) Cit. Decret. General. ad 32.
(*pp*) Cit. Decret. General. ad 1. & 2. Bened. XIV. Notif. 105. n. 100., & seqq.

poenis. Quot quot igitur sunt, & quocumque Officiales vocentur nomine, administrationis suae & singulis annis, & quoties Nobis placuerit, reddent immediate rationem (*qq*), quod quidem ut luculentius, exactiusque fiat, sequentes habere codices unamquamque injungimus Sodalitatem. 1. Librum nempe bonorum omnium tam immobilium, quam semoventium, & mobilium, in quo distincte etiam exscripta sint instrumenta singula ad Societatem pertinentia (*rr*): 2. Librum introitus, in quo tum genera quaeque ex campestribus fundis provenientia, tum pecuniae retractae adnotentur. 3. Librum exitus, qui sumptus omnes, expensasque tam ordinarias, quam extraordinarias exhibeat, anno, mense, dieque singillatim appositis, calculisque pro opportunitate subductis. 4. Librum tandem, in quo & nomina, ac cognomina referantur Sodalium, aggregationis cujusque die, Nostraque necessaria confirmatione adnotata (*ss*), & singula litteris tradantur comitiorum acta, quorum resolutiones praesentibus Confratribus Secretarius describere, ipsisque adhuc congregatis legere semper debebit (*tt*). Atque hic quoad supradictos Officiales edicimus, cavendum potissimum esse, ut qui aliquid Societati pecuniae debent, non eligantur, electique aut debitum statim dissolvant, aut illico ab officio removeantur (*uu*). Hac interim Nostra Synodali Sanctione decernimus, quoscumque electos vigore actus suscepti officii tacite esse in forma Camerae obligatos, nedum ad Confraternitatis bona fideliter administran-

---

(*qq*) Conc. Trid. sess. 22. de Reform. c. 9.

(*rr*) Conc. Rom. tit. 22. c. 6. S. C. C. in Savonen. 8. Febr. 1744. §. *Duo* in hoc Thesaur. resolut. tom. 13.

(*ss*) S. C. Episcoporum 11. Aug. 1684. apud Syn. Bononien. Boncompagni lib. 4. c. 5. Syn. Civit. Castelli loc. cit. n. 7.

(*tt*) Syn. Fulginaten. 1722. c. 25. n. 14.

(*uu*) Act. Mediolan. Conc. Prov. I. p. 3 de Locor. pior. administr. §. *Qui pecuniam*.

da., sed etiam ad reddendam Nobis rationem, & ad Nostrae jurisdictioni, privilegiis, atque exemptionibus quibuscumque penitus exclusis, se subjiciendos (*xx*).

VIII. Suum habeat unaquaeque Societas Capellanum, si in Parochiali Dioecesis Ecclesia non sit erecta; Parochum enim in hoc casu Capellanum, Rectoremque natum declaramus. Designatus a Societate Capellanus spectatae sit probitatis, aptusque suis obeundis muneribus. Haud tamen delato sibi poterit officio fungi, quin Nostram obtinuerit adprobationem (*yy*). Electus, adprobatusque non dimittatur, nisi caussa a Nobis cognita, ac simul admissa (*zz*). Piis omnibus Societatis interesse exercitiis hujusmodi Capellano solemne erit, atque orationem in primis, quam mentalem dicunt, studiis omnibus promovere. Hanc a SS. Patribus, & a Praeceptoribus spiritualis vitae maxime commendatam, ac nedum Christiano homini utilem, sed apprime necessariam fel. rec. Benedicti XIV. inhaerentes mandatis (*aaa*) in singulis Confraternitatum Ecclesiis per semihorae spatium bis saltem in mense Dominicis, vel festis aliis diebus ante Missae celebrationem Sodalibus convenientibus, ac praevio aeris campani signo vocatis, faciendam esse praecipimus ea indicta lege, ut Sodalis quisque, qui tribus consecutivis defecerit vicibus, sit ipso jure e Confratrum albo deletus. Sciat insuper Capellanus quilibet, factoque probet, quae sibi, Societatique liceant, quaeque vetita sint, ne Parochi, ut superius innuimus, invadat jura, aut functiones perturbet. Quapropter generalia sub Clemente XI. edita Decreta, quae in Appendice dabimus (*bbb*), calleat, eaque

(*xx*) Syn. Fulginaten. loc. cit. n. 10. Syn. Civit. Castelli loc. cit. n. 9.

(*yy*) S. C. particular. in Fulginaten. Synodi 25. Jul. 1725. ad 4. Syn. supr. relat. omnes.

(*zz*) Syn. Civit. Castell. loc. cit. n. 13.

(*aaa*) Bened. XIV. Encycl. *Quemadmodum* 16. Decemb. 1746.

(*bbb*) Vide in Append. num. XX.

Sodalibus pro opportunitate exponat, nec subdere ipsum quandoque pigeat, Parochos ad Ecclesiasticam pertinere Hierarchiam, & Christianis esse populis necessarios, non Societates; has ad charitatem, humilitatem, caeterasque promovendas virtutes fuisse institutas, non ad excitandas turbas, legitimamque minuendam jurisdictionem; summam demum mereri eos omnes laudem, qui Pastorum suorum reverentur, tuenturque pro viribus auctoritatem (*ccc*). Nostras quoque Sanctiones tam in praesenti editas Titulo, quam Titulo hujus Sessionis XIV. italico interdum sermone explanet, illisque praesertim diebus, cum pro Officialium electione habenda erunt comitia (*ddd*). Societatis Archivo una cum Secretario praesit, ita tamen, ut alteram ipse retineat clavem, Secretarius alteram. Sacrarii demum fidelem habeat custodiam, & pretiosarum in primis suppelectilium, omniaque sic in Ecclesia disponat, ut pietatem, religionemque redoleant, ac Societatem indicent ipsam Divino unice cultui mancipatam.

TITULUS XVIII.

De Nosocomiis, Domibus Hospitalibus, ac Montibus Pietatis.

I. Nosocomia, quae pauperum gymnasia appellata aliquando fuere (*a*), a primis usque Christianae aerae saeculis compertum est, ita ab Episcoporum, pauperum scilicet Patrum pependisse auctoritate, ut penes ipsos omne jugiter illorum jus fuerit. Haec, quae dudum viguit antiquis temporibus disciplina, paul-

(*ccc*) Vide Malaguzzi Manual. Paroch. tom. 2. p. 2. colloq. 13. post Decret. general.

(*ddd*) Syn Ferrarien. 1781. p. 5 c. 6. n. 6.

(*a*) Gregor. Praesb. in vita S. Basilii initio Oper. S. Gregor. Nazianz.

latim mox obsolevit, sed plerumque Praesbyteris, ac Diaconibus, plerumque etiam Monachis Nosocomiorum curam Episcopi demandarunt, donec piis hisce locis etiam Laici tandem praefecti sunt. Ne vero Episcoporum exuere obsequium hujusmodi unquam attentassent homines, Ecclesia tum in Viennensi Concilio (*b*), tum in Tridentino (*c*) sanctissimas edixit Leges, quas Nostris in Dioecesibus a Nosocomiorum administratoribus inviolate servandas esse sub poenis a Sacris ipsis Canonibus constitutis omnino jubemus.

II. Nihil ad charitatem in Nosocomiis fovendam, augendamque magis conferre potest, quam si Custodes Christi Domini in aegrotis intueantur personam. Hac igitur lumbos succincti fide, nullo detineantur officio, nullo labore graventur, promptique, atque alacres, quodcumque possunt afferre eis juvamen nunquam recusent. Meminerint tamen praecipuam in medendis animae morbis esse impendendam sollicitudinem, omnemque in hoc potissimum industriam, diligentiamque suam ponant, ut, aegroto quoque adveniente, mature Parochus admoneatur, qui & ejus Confessionem excipiat, & Sacrum, si opus sit, Viaticum, extremamque demum Unctionem opportune ministret. Si quicquam hac in parte peccarint, non Nobis solum, sed etiam Deo gravissimas esse daturos, pro certo habeant, poenas.

III. Parem reposcimus in hospitalibus Domibus charitatem, paremque fidem. Peregrini hilari excipiantur vultu, comiterque tractentur; non tamen foeminis viri, nec foeminae viris inserviant. Qui secum socias habent mulieres, quas aut uxores dictitant, aut sorores, nisi authenticas exhibeant suae conditionis litteras, ab Hospitio omnino excludantur. Nunquam

(*b*) Clement. *Quia contingit*. De Relig. Domibus.

(*c*) Conc. Trid. Sess. VII. de Ref. c. 15. & Sess. XXV. de Ref. c. 8.

conclavi in uno foeminae, virique locentur; nunquam permittatur cum uxoribus maritos in eodem lecto cubare (*d*). Ubi in paupere hospitio una tantum sit mansio, receptis mulieribus, viri non admittantur. Sejunctim dispositis, ubi locus est, a mulieribus viris, ne communicare sibi invicem possint, noctu conclavium ostia semper claudantur, clavesque remaneant penes Custodes. Pueros etiam vel insimul in lecto jacere, vel cum hominibus, quorum aut filii non sint, aut nepotes, absolute interdicimus (*e*). Facinorosos, armis instructos, circulatores, vagosque homines, atque otiosos, qui cum facile possint, nolunt tamen manibus suis, & in sudore vultus sibi victum comparare, ut meliorem alimenta quaerendi artem necessitas suadeat, otiositatemque aliquando fame compulsi, confugioque privati fastidiant, omnino rejiciendos mandamus. Quilibet autem hujusmodi in hospitio receptus a jurgiis, conviciis, rixis, atque inhonestis sermonibus, verbisque sub carceris poena abstineat, nec unquam ultra diem unum morari ibi possit sine licentia Nostra, dummodo aliqua non detineatur infirmitate. Haec exactissime provideant omnia hospitalium Domorum Moderatores, Custodesque, ne in ipsos animadvertere debeamus. Curent insuper, ne linteamina necessaria desint, ac munditiei praesertim, quae potest etiam cum paupertate conjungi, vigili diligentia studere satagant.

IV. Sacrae illae Ædes, quae suum a pietate sortiuntur nomen, quaeque ad sublevandas pauperum egestates provido fuerunt institutae consilio, charitatis Christianae adeo praeclara sunt argumenta, ut quaecumque alia vix comparari illis possint. Quamobrem, ut ea, qua par est, fidelitate, ac solertia administren-

(*d*) Act. Mediol. Concil. Prov. I. p. 3. tit. De Pior. Locor. administr. §. *In Hospitalibus*.

(*e*) Act. Mediol. Conc. Provinc. V. p. 3. Quae ad Scholas, Confratrias &c. §. *Ne pueri*.

Officiales recipientes obnoxios edicimus fore (*l*). Pecuniae Ecclesiarum, ac Locorum, Operumque Piorum, quoties deponantur, ea conditione intelligantur depositae, ac receptae, ut a Sacra Pietatis Æde amoveri nequeant, nisi ad effectum illa de Nostra scripta licentia iterum investiendi. Elapso redimendis pignoribus tempore juxta Montium quorumlibet leges constituto sub hasta veneant, & plus offerenti adjudicentur: quicquid vero pecuniae ultra mutuatam a Monte summam, necessariis etiam detractis expensis, superererit, pignorum Dominis tribuatur (*m*). Quod si ea minori venundari pretio contigerit, damno id erit Ministris, quorum aut oscitantia, aut culpabili conniventia major, quam par erat, data fuit pro pignore summa (*n*). Ipsi vero Ministri nec per se, nec per interpositas unquam personas pignora emere audeant, pretiumque, si id fecerint, illico amittant venditioni pignore iterum exposito (*o*). Sacra Amuleta, ac Numismata, insculptae Sanctorum Imagines, Reliquiarum Thecae, caeteraque hujusmodi nunquam vendantur Haebreis sub excommunicationis, & aureorum quinquaginta vendentibus poena, ementibus autem aureorum centum, & carceris (*p*). Quum vero prudenter admodum fuerit, opportuneque a Praedecessoribus Nostris provisum, ut a solis territorialibus, ac Dioecesanis pignora accipiantur, ne qui Territorii, & Dioecesis pauperum subsidio, ac levamini erecti Montes fuere, bono cedant alienorum (*q*), ipsorum sectantes exempla

---

(*l*) Bened XIV. Notif. 52.

(*m*) Leo X. Const. *Inter multiplices* edit. in Conc. Lateran. V. sess. 10.

(*n*) Syn. Bajardi p. 5. c. 9. §. *Tempore*.

(*o*) Syn. Bajardi loc. cit. §. *Si forsan*. Syn. Urbin. 1753. sess. 4. tit. 8. §. 2. Syn. Civit. Castelli 1766. Act. 3. c. 13.

(*p*) Edict. S. Offic. edit. ann. 1734. jussu Clem. XII., & aliud sub Bened. XIV. 15. Septemb. 1751.

(*q*) Syn. Episc. Barusii n. 29. Fabbretti c. 27. Bajardi loc. cit. §. *Cum vero*.

gravi sub pecuniaria irroganda poena, quin exteris pignore accepto Nostrorum Pietatis Montium pecunia subministretur, Synodali sanctione prohibemus.

VI. Quamquam in Montium Pietatis erectione statutum fortasse fuerit, ut praeter mutuatam pecuniam aliquid a mutuatariis exigi possit ad Officialium substentationem, Montiumque ipsorum manutentionem, idque sine usurae fiat labe (*r*); quia tamen evenire facile potest, ut quod exigitur, necessarios superet sumptus, ideo, calculis in singulos annos subductis, diligentissime curandum est, ne majus aequo accipiatur, ut ajunt, meritum, illudque pro circumstantiis minuatur, ac penitus etiam, si fieri possit, tollatur (*s*). Hinc vero Montium Officiales intelligant, praeter designatam sibi mercedem non aliud quicquam sub quovis praetextu, aut quaesito colore petere ipsos posse, vel etiam sponte oblatum accipere. Par stat pro frumentariis Montibus ratio, parique circa illos agendum est norma. Ministris qui secus se gesserint, damnabilis erunt usurae rei, & restitutioni illico obnoxii (*t*). Hos autem hortamur, ut frumentum in assignato horreo coacervatum invisant frequenter, & custodiendum diligentissime curent. Debitis porro temporibus non pro libito, sed aequa illud lance distribuant, rati tamen eos esse pauperes praeferendos, qui majori necessitate premuntur. Singulas in apto libro describere distributiones, tritici quantitatem, diem, mensem, & annum, nomina, & cognomina debitorum, eorumque semper exhibendos fidejussores, aurei unius interposita poena, debebunt; quae pariter omnia exacte adnotabunt, cum tempus erit restitutionis, ad quam remediis etiam adhibitis legalibus

(*r*) Cit. Const. Leon. X. *Inter multiplices*

(*s*) Bened. XIV. de Syn. Dioeces. lib. 10. c. 5. n. 2. & 3.

(*t*) S. C. C. in Urbinat. pro Ministr. Mont. Frumentar. 2. Decembr. 1752. approbant. Bened. XIV.

morosos adigere debitores ipsorum erit onus, ne infidelem aliorum negligentiam propriis redimere cogantur fortunis.

TITULUS XIX.

De Primitiis, ac Decimis.

I. Decimae, sive, ut antiquitus dictae etiam fuerunt, Primitiae, quae a jure Divino primaevam ducunt originem (*a*), ex Ecclesiastico jure Animarum debentur Rectoribus (*b*) quippe qui vigilant rationem pro Animabus ipsis reddituri (*c*), ac digni propterea sunt operarii mercede sua (*d*). Quamquam autem ad Sacrorum Canonum mentem tum ex fructibus terrae universis, tum etiam ex caeteris omnibus bonis persolvendae essent Decimae (*e*), idque in Nostris hisce Dioecesibus observandum potissimum foret, ubi Parochialia Beneficia tenuissimi plerumque sunt reditus; nihil tamen immutari de veteri consuetudine volentes, Decimarum Taxas pro singulis quibusque locis constitutas, & jam dudum in more positas confirmamus, easque strictim, fideliterque servari jubemus. Quum vero, quae reales, sive etiam praediales dicuntur Decimae, vel juxta antiquo initas tempore compositiones, vel pro rata fructuum recollectorum parte sint persolvendae, plane liquet, utroque in casu tradendum Parocho frumentum illius debere esse qualitatis, quae a predii Domino exigitur. Caveant igitur campestrium fundorum tam proprietarii, quam etiam rusticani coloni, ne in viam Cain abeuntes

(*a*) Proverb. 39.

(*b*) Conc. Trid. sess. 25. c. 12. de Reform.

(*c*) 1. Corinth. 9. 7.

(*d*) Luc. 10. 7. 1. Corinth. 13.

(*e*) Cap. *Non est* de Decimis, & cap. *Pervenit* eod. tit. S. August. Serm. 19. de Temp.

Deo, ejusque Ministris quisquilias pro tritico exhibeant, nec nisi ventilatum, ac de more mundatum offerre praesumant.

II. Nec Decimae remitti, aut condonari in Ecclesiae damnum possunt, nec de iis transigere permissum est sine Apostolicae Sedis auctoritate. Quamobrem sicut Parochis plus aequo exigere nefas esset, ita quicquid ipsis de jure, aut ex consuetudine competit, aequum est, sibi ut vindicent. Ut autem quaecumque fraudis absit occasio, Praedecessorum Nostrorum inhaerentes exemplo (*f*) sub poenis arbitrio Nostro irrogandis statuimus, ne Messis tempore ex area amoveantur frumenta, nisi Parocho accito, ipsique debitis integre fructibus persolutis. Hos subtrahentes, sive persolvi quocumque modo impedientes sciant, a Sacro Tridentino Concilio (*g*) Excommunicationis poena innodari. Nec Regulares ab hac se exemptos lege arbitrentur, *nisi habeant in suis privilegiis expressam derogationem Capitis* NUPER, ut a Sacra Concilii ejusdem interprete Congregatione decretum pluries fuit (*h*). Itaque pro eo quo Pastores suos prosequi debent obsequio, imo etiam pro strictissimo, quod ipsis incumbit, justitiae debito, utriusque Nostrae Dioeceseos populi integras, sincerasque persolvere Decimas nunquam recusent, Deoque oblata credentes, quae suis offerunt Parochis, libenti, laetoque animo huic satis oneri faciant, *hilarem enim datorem*, quemadmodum Apostolus monet (*i*), *diligit Deus*.

(*f*) Syn. Barusii tit. 32 de Decimis §. *Cum post*. Act. Mediol. p. 2. Syn. Dioeces. IV. decr. 38.

(*g*) Conc. Trid loc. cit.

(*h*) S. C C. in Pampelonen. 21. Aug. 1726. & in Barbastren. 7. Febr. 1733.

(*i*) 2. Corinth. 9. 7.

TITULUS XX.

De Foro Episcopali.

I. Quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei (*a*), eos opportuna in gregem universum potestate munivit, quae nisi sarta tecta servetur, gravissima exoriri necesse sit mala. Hinc sapientissime more suo scripsit Hieronymus (*b*), *Ecclesiae salutem in summi Sacerdotis dignitate pendere, cui si non exors quaedam, & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot Sacerdotes*. Perspicuam hanc veritatem & primi docuerunt Apostoli, & facto comprobaverunt judiciariam tum in res, tum in personas potestatem pro re nata exercentes, unde scribens ad Corinthios Paullus (*c*) *Nescitis*, inquit, *quoniam Angelos judicabimus: quanto magis saecularia?* Et de se ipso testatus est *in promptu habere ulcisci omnem inobedientiam* (*d*). A primo igitur Ecclesiae exordio initium habuit Forum Episcopale externa etiam praeditum jurisdictione, quod ipsa revereri suasit religio, quippe quae claves a Christo Domino Apostolis traditas illud insinuasse perhibuit, & D. Ignatio Martyre teste solemne habuit praescribere, ut *revereantur omnes Episcopum tamquam Jesum Christum existentem Filium Patris* (*e*). Quae quum ita sint, neque in indigno etiam haerede Episcopalis deficiat a Christo Domino, atque ab Ecclesia concessa potestas, eam Nobis, Curiaeque Nostrae exhiberi volumus reverentiam, obedientiamque, quam Canonicae praescribunt Sanctiones, ac proinde refractarios, qui divinam sane non Nostram pessum-

(*a*) Act. Apostol. 20. 18.
(*b*) S. Hieron. advers. Lucifer.
(*c*) 1. Corinth. 6. 3.
(*d*) 2. Corinth. 10. 6.
(*e*) S. Ignat. Mart. Epist. ad Trallen. n. 2. & 3.

darent auctoritatem, gravibus pro modo culpae plectendos esse poenis decernimus; *In propriis enim injuriis*, ut optime advertit Chrysostomus (*f*), *esse quemquam patientem laudabile est, injurias autem Dei dissimulare, nimis est impium.*

II. Ubi de morum agitur correctione, emendatione, & punitione, nemo sibi persuadeat Episcopalem refugere posse Jurisdictionem (*g*), neque ad exemptionem probandam, vindicandamque ullius esse credat momenti privilegium quodcumque, cum non ordinaria tantum sua fretus auctoritate Episcopus procedat, sed tanquam Sedis Apostolicae Delegatus jus hisce in casibus dicat (*h*). Hinc appellationes, inhibitiones, querelae, & recursus ad Summum etiam delati Pontificem, nec reis quicquam prodesse poterunt, nec esse impedimento, quominus latae ab Episcopo sententiae suum habeant effectum, plenamque sortiantur executionem (*i*). Idem aeque est dicendum de editis ab Episcopo in Sacra Pastorali Visitatione Decretis, irrito enim conatu illorum eludere vim appellatione interposita captiosi homines, turbulentique contenderent (*k*). Quae omnia a Sacrosancta Tridentina Synodo sapientissime jam constituta, cum Benedictus PP. XIV. in celeberrima Constitutione sua *Ad Militantis Ecclesiae* fusiore declaraverit calamo, simulque perpetua Sanctione firmaverit, Constitutionem ipsam ut saluberrimam Legem ad tricas, ambages, tergiversationesque tollendas, aeque ac ad conservandam, & reparandam Ecclesiasticam disciplinam

(*f*) S. Joann. Chrysost. in cap. 3. Isaiae n. 7.

(*g*) Conc. Tridentin. sess. 4. c. 1. sess. 6. c. 3. sess. 22. c. 1. sess. 24. c. 2. de Reform. Syn. Fulgin. 1722. c. 13. n. 4., 6. Syn. Bajardi p. 3. c. 3.

(*h*) Conc. Trid. loc. cit. Conc. Rom. sub Bened. XIII. t. 9. c. 3.

(*i*) Conc. Trid. sess. 24. de Reform. c. 11. Bened. XIV. Const. *Ad Militantis Ecclesiae* 30. Mart. 1742. §. 21.

(*k*) Conc. Trid. & Const. *Ad Militantis* locis cit.

aptissimam, inviolate custodiendam esse, atque adamussim observandam mandamus (*l*).

III. Fori Episcopalis Ministri haud ita esse debent Ministri justitiae, quin sint potissimum misericordiae. Non itaque solum jus unicuique suum exactissime reddant, verum etiam omnibus adhibitis charitatis Officiis pacem suadere, litesque, quoad fieri potest, componere studeant (*m*). Pauperum praesertim, Viduarum, ac Pupillorum caussas summa diligentia tractandas curent, ac pari aequitate definiendas, veriti, ne, si secus egerint, graviter ab Eo puniantur, qui *Pupillum*, & *Viduam suscipiet*, *&* *vias peccatorum disperdet* (*n*). Atque hic occasione data pauperum in Curia Nostra Advocatum enixe hortamur, ut strenue suo pro Christi amore fungatur officio, nec studium, operamque suam rogatus miserabilibus unquam recuset personis, certissimam recepturus laborum suorum a misericordiarum Patre, centuplamque mercedem. Quod si praepotentis alicujus adversarii timore perterriti pauperis patrocinium Causidici omnes abjiciant, ne caussa cadat, jaceatque justitia, defensor sorte eligatur, qui nisi delatum sibi munus sedulo, fideliterque exercuerit, a caussis in Curia Nostra dicendis illico arcebitur (*o*). Advocatos interim, & caussarum patronos, quantum in Domino possumus, monemus omnes, ut nihil, nisi ad juris, justitiaeque tramites agant, rejectisque tricis, atque inutilibus moris ad expediendas, dijudicandasque lites viam aperire studeant, non autem, ut fieri plerumque solet, occludere.

IV. Acta non in vagantibus foliis, sed in compactis, paratisque ad hunc finem libris fideliter exscri-

(*l*) Syn. Bajardi p. 3. c. 4. §. *Certe quidem.*
(*m*) Cap. *Dilecti Filii* de Judic.
(*n*) Psalm. 145. 8.
(*o*) Syn. Fulginaten. 1722. c. 29. n. 3.

bantur, diligenterque vel in Archivo, vel in Cancellaria custodiantur Episcopali. Codices, processus, instrumenta, scripturae, paginaeque omnes, & singulae, quae ad Nostram pertinent Cancellariam, a nemine unquam, neque ab ipso Cancellario sine expressa a Nobis, vel a nostro Generali Vicario facta in scriptis facultate extrahantur, aut alio transferantur sub excommunicationis ipso facto incurrendae, Nobisque reservatae poena (*p*), cui esse pariter obnoxios volumus tum quaslibet supradictas scripturas quomodocumque habentes, occultantes, & retinentes, si intra mensem ab hujus Synodi publicatione illas reportare neglexerint, tum conscios, qui earumdem surreptionem, occultationem, ac retentionem intra dictum tempus detrectaverint revelare (*q*). Ut autem scripturae fideliter conserventur, neque unquam vel malo fato, vel hominum fraude depereant, earum omnium, & singularum exactum intra duos menses confici Inventarium praecipimus, cujus alterum in Cancellaria, alterum penes Nos ipsos esse debebit exemplar, quod quidem sive longum adgressuri iter simus, sive vitae finem sentiamus Nobis instare, clausum, Nostroque obsignatum sigillo Confessario Nostro trademus, onere ei injuncto vel per se ipsum, vel per dignam aliquam interpositam personam Successori Episcopo integrum, clausumque consignandi, ut si quid surreptum fuerit, adsportatumque, collatione facta, recognoscere facile possit (*r*). Interea Cancellarii meminerint Nostri, eas esse scripturas in Archivo, & Cancellaria Episcopali servandas, quarum dabit Appendix Elenchum a Concilio primum Romano (*s*), dein vero pro utraque No-

A.

(*p*) Syn. Bajardi p. 3. c. 6.

(*q*) Syn. Bajardi loc. cit. Syn. Feretran. 1734. t. 3. c. 3.

(*r*) Conc. Rom. tit. 12. c. 3. Syn. Fulgin. loc. cit. n. 10. Syn. Bajard. loc cit. §. *Cum vero*.

(*s*) Conc. Rom. in Append. ad tit. 12.

stra Dioecesi a Sacra Tridentini Concilii interprete Congregatione firmatum, adprobatumque (*t*).

V. Episcopalis Fori jura pro viribus tueri Curiae Nostrae Ministri sedulo curent; nec lites, caussas, caeteraque negotia, quae vel personarum, vel rerum, vel connexionis ratione ad Nostrum Forum sive de jure, sive ex consuetudine spectant, ab alio quocumque Judice in prima instantia cognosci, quantum in ipsis est, sinant (*u*). Si quis autem hujusmodi caussas vel per se, vel per alium ab Ecclesiastico averterit Foro, aut, ut avertantur, consilium, operamque suam praestiterit, seu etiam impediverit, quin prosequantur, in excommunicationis sciat ipso facto incidisse, a qua absolvi nullatenus poterit, nisi prius Judici, cujus usurpata fuit jurisdictio, & parti, quae fuit in juris sui prosecutione turbata, plene satisfecerit (*x*). Quam latae sententiae excommunicationem incurrent executores, bajuli, satellitesque Laicalis Curiae, qui Curiae Nostrae mandata vel exequi renuerint, vel exequenda directe, aut indirecte impediverint (*y*). Ubi consuetudo vigeat quod Clericus Actor Laicum ad Nostrum trahat tribunal, tam si caussa sit de re Ecclesiastica, vel ad Ecclesiam spectante, quam si de negotio agatur mere profano, servandam eam esse statuimus (*z*). Privilegio Ecclesiastici Fori praeter Clericos gaudent in primis familiares Nostri, quos inter numerandi sunt tum qui actu Nobis inserviunt, tum Episcopalis mensae redituum collecto-

(*t*) S. C. C. in Urbanien. & Vaden. 15. April. 1758. Vid. Append. num. XXI.

(*u*) Conc. Trid. sess. 24. cap. 20. de Reform. Bened. XIV. notif. 40. n. 2. & 3.

(*x*) Cap. *Quoniam ut intelleximus* de Immunit. Eccles. in 6.

(*y*) Syn. Fulgin. 1722. c. 29. n. 17. ibiq. allegat. Vid. Ricci Synops. V. Bajulus, & Ursaja p. 2. discept. 27. n. 16

(*z*) S. C. Episcop. Paullo V. adprobant. apud Bened. XIV. loc. cit. n. 5.

res, praediorumque, atque agrorum cultores (*aa*). Ministri itidem Episcopalis Curiae, & procuratores Monialium, qui vulgo dicuntur *Fattori*, dummodo ipsarum addicti servitio, ipsarum quoque expensis alantur, caeterique omnes, quos vel officium, vel consuetudo in privilegiatorum numerum juxta Sacros Canones, ac Pontificias Constitutiones recensendos esse probabit (*bb*). Fori autem optionem habent pauperes, miserabilesque personae, ac pari modo Pupilli, Virgines, Viduae, Foeminaeque viros habentes victui sibi comparando impares (*cc*), quibus omnibus in Nostro Tribunali & suos convenire debitores, & propria tueri jura, liberum fore, quin prohiberi unquam possint, decernimus.

TITULUS XXI.

De Judicibus, Examinatoribus, & Testibus Synodalibus.

I. Inter graviora negotia, ut Benedictus XIV. advertit (*a*) in Dioecesana Synodo ab Episcopo tractanda, & expedienda recenseri debet deputatio Judicum Synodalium, quibus ad Tridentini Concilii mentem (*b*) caussae ab Apostolica Sede, quoties opus fuerit, committi possint. Conciliari igitur obtemperantes decreto, & memorati Benedicti PP. XIV. editae super hoc Constitutioni (*c*) quatuor requisitis prae-

(*aa*) S. C. Immunit. 28. Maii 1722. Apud Ursaja Inst. Crim. tit. de Crim Sacrileg.

(*bb*) S C. Immunit. in Anagnin. 17. Jan 1712. Apud Syn. Fulgin. l. c. n. 19. Ricc. Synops. V. *Factor*. n. 1.

(*cc*) Cap. 1. & 2. Dist. 87. Innoc. III in cap. *Super quibusdam* de verb. signif. S. C. Immunit. apud Ricc. V. *Paupertas*. Syn. Fulginat. l. c. n. 20. Syn. Urbinat. 1753. sess. 3. t. 13. §. 4.

(*a*) Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 4. c. 5. n. 6.

(*b*) Conc. Trid. sess. 25 de Reform. c. 10.

(*c*) Bened. XIV. Const. *Quamvis Paterna* 26. Aug. 1741.

ditis qualitatibus Synodales Judices designamus, eorumque nomina, quae in hujus Synodi referentur calce, Summo Pontifici opportuno tempore denuntiabimus, Hi autem se nulla sciant jurisdictione pollere, nisi delegatam acceperint (*d*), atque in actis caussarum conficiendis non nisi Curiae Nostrae Cancellario uti posse meminerint (*e*). Ex horum Judicum numero tantum Regulares Familiae suos, si velint, eligent Conservatores, quibus tamen nihil agendum est, quam quod Apostolicis jam fuit Sanctionibus cautum (*f*).

II. Judicibus electis Synodales Examinatores eligendos proponemus, quorum pariter nomina in Synodi rejecta calcem mox recitabuntur. Hos a majori Synodalis Conventus parte vel publice, vel per secreta suffragia, ut magis Nobis expedire videbitur, adprobandos, officii sui pondus inde potissimum intelligere debere existimamus, quod Parochialibus praeficiendos Ecclesiis sedulo scrutari, deque illorum idoneitate judicium ferre, ad ipsos praesertim spectat. Quantam id exigat fidem, quantam diligentiam, quantumque Divinae gloriae, Ecclesiasticae disciplinae, atque animarum salutis studium nemo est, qui non videat. Quamobrem, ne quid humani in tanti momenti re passi, illud favori, & affectioni tribuant, quod debitum esset justitiae, ad munus fideliter exercendum jurisjurandi religione se obstringent servata forma a Concilio Tridentino praescripta (*g*), quam dabimus in Appendice (*h*), Monitos interea eos volumus, Benedicti PP. XIV. Constitutioni *Cum illud* (*i*), quam in singulis concursibus ob oculos praesentem

(*d*) S. C. C. in Januen 15 Mart. 1601.

(*e*) S. C. C. in Albanen. 15 Januar. 1656.

(*f*) Gregor. XV. Const. *Sanctissimus* IX. Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 4. c. 6. n. 1.

(*g*) Conc. Trid sess. 24 de Reform. c. 18.

(*h*) Vid. Append. n. XXII

(*i*) 14. Dec. 1742. V. Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 4. c. 7. & 8.

habebunt, ita esse inhaerendum, ut a sapientissime praescriptis ab ipsa regulis nulla prorsus ratione deflectant.

III. Tandem Innocentii III. edito in Concilio IV. Lateranensi decreto, & Divi Caroli exemplo inhaerentes (*k*) Synodales etiam testes ducimus eligendos, spectatae nempe probitatis Viros, qui zelum zelando Dei Synodalium harum Sanctionum observantiam omnibus industriae nervis promovere studentes, quicquid contra eas peccetur, libere Nobis pandant, Sacerdotumque, ac Clericorum moribus solerter investigatis, quos reformatione indigere crediderint, ac correctione, omni posthabito humano affectu, ad Nos deferant. Vitia itidem, si quae vel in Ecclesiasticos irrepsisse cognoverint, vel in populos, exortaque potissimum scandala renuntiare non praetermittant, ut opportuna afferre remedia possimus, & unumquemque pro muneris proprii ratione in officio suo continere. Testium horum supprimimus nomina (*l*), ut suas exequi partes majore possint cum libertate, ac diligentia. Antequam vero munus assumant, coram Nobis ad Sancta Dei Evangelia jurabunt, solo charitatis studio, & justitiae zelo, quae resciverint, quaeque existimaverint emendanda, sincere, atque ingenue Nobis relaturos, nec unquam se adductum iri, ut sub pietatis, religionisque specie falsum affirment, & injuste in aliquem non patratam conjicere culpam moliantur.

TITULUS XXII.

Conclusio Synodi.

I. Haec sunt, quae pro Pastoralis Officii Nostri ratione statuenda esse duximus, haec, quae Cle-

(*k*) Acta Mediolanen. Conc. Prov. IV. p. 3. tit. de *Testibus Synodalibus*.

(*l*) Bened. XIV. de Syn. Dioeces. l. 4. c. 3. n. 8.

ro Nostro universo in prima hac Nostra Dioecesana Synodo proponimus observanda. Alligare onera gravia, & importabilia (*a*), nec Nobis unquam fuit animus, nec charitas ferret piissimae matris Ecclesiae, qua sola duce, ac Magistra in legibus instaurandis, indicendisque usi sumus. Nihil enim omnino novi praescripsimus, nihil, quod aut a Pontificibus Summis, aut a Sacris Canonibus, aut a Sanctis Patribus, aut a Romanae Urbis Congregationibus, aut tandem a praeclarissimis, ac sapientissimis Episcopis praescriptum antea, atque decretum non fuerit. In ea tamen, qua misere versamur, temporum acerbitate, sermo erit Noster quibusdam fortasse durus; sed pietas, religio, ingeniique docilitas, qua Ecclesiasticorum Nostrorum pars maxima floret, in spem Nos erigit, fore, ut Constitutiones hae Nostrae aequo, loetoque communiter excipiantur animo, & plenam obtineant, inviolatamque observantiam. In id sane omnibus incumbere studiis nunquam cessabimus, in id conferemus, quantum in Nobis est virium, atque auctoritatis, frustra enim leges promulgantur, nisi earum insistatur executioni (*b*).

II. Nemo igitur sibi persuadeat, si quam ex Synodalibus hisce Sanctionibus violaverit, impune se abiturum. Quoties enim nullas adjecimus decretis poenas, Nostro, ac Successorum Nostrorum arbitrio eas intelleximus reservatas. Pecuniarias multas, ubi nulla facta fuit applicationis mentio, piis semper usibus arbitrio pariter Nostro applicandas fore declaramus. Inflictas a Nostris Praedecessoribus Censurarum poenas expresse in hac Synodo non confirmatas revocatas esse decernimus, ac penitus abrogatas. Cum autem ipsorum decreta, ordinationes, statuta hic in unum colligere, ac quasi perstringere pro temporum

II

(*a*) Matth. 23. 4.

(*b*) Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 6. c. 1. n. 2.

tamen, & circumstantiarum opportunitate studuerimus, ne legum codices varii, ac multiplices confusionem magis inferant, quam assequantur observationem, solas has Nostras praeoculis habendas esse Constitutiones statuimus, & definimus (*c*). Caeterum, quamvis certi simus, nulli pepercisse labori, nulli diligentiae, ut Dioecesi Nostrae accommodatas, atque instaurandae disciplinae idoneas proferremus leges, quum pro temporum, & circumstantiarum varietate eas quoque varias esse conveniat, idque non modo utilitas, verum etiam ipsa quandoque suadere necessitas possit, Nobis, & Successoribus Nostris liberum esse volumus tum in Synodo, tum extra Synodum Sanctiones hasce immutare, novasque opportune condere, & poenas in ipsis statutas augere, minuere, vel etiam prorsus delere, prout in Domino magis expedire videbitur.

III. Et si Synodales Constitutiones satis promulgatae publica earum lectione censeantur (*d*), indeque plenam obligandi vim habeant, has tamen Nostras tum solum omnes, ad quos spectant, afficere volumus, cum primum typis vulgatae fuerint, quod Dioecesi universae Edicto Nostro patebit. Interea sicuti & Clericos singulos, cujuscumque sint ordinis, ac dignitatis, & Regulares in iis, in quibus Nobis subsunt, Nosque tanquam Sedis Apostolicae Delegati procedimus, & laicos pro illa, quae ipsos respicit parte, his respective Sanctionibus obstrictos fore decernimus, ita ne quis unquam earum possit ignorantiam obtendere, Praedecessorum Nostrorum (*e*), & clarissimorum Antistitum (*f*) praxim sectantes, omnibus, & singulis jurisdictioni Nostrae subjectis praecipimus

(*c*) Bened. XIV. Encycl. ad Episc. Polon. *A quo primum*. §. *Summa autem*, Syn Pisauren. Radicati 1742. sess. 3. tit. 12. §. 1.

(*d*) Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 13. c. 4. n. 1.

(*e*) Syn. Bajardi p. 6. c. 8. §. *Ut facile*.

(*f*) Syn. omnes passim.

(g), ut hujus Synodi Codicem intra unum ab ejus publicatione mensem sibi comparare, nulla admissa excusatione, teneantur. Quod pariter injungimus Nostris tum Cathedralium, tum Collegiatarum Capitulis, quorum in Archivis, unum saltem volumus esse asservandum exemplar (h).

IV. Jam vero, quoniam opus hoc Nostrum ad suum properat finem, antequam supremam ei manum apponamus, Apostolicae Sedi, quam Catholicae Religionis centrum, & veritatis cathedram agnoscimus, credimus, ac confitemur, obsequentissime omnia subjicimus, quaecumque statuimus, decrevimus, diximus, supremumque ejus, atque infallibile venerantes judicium, quicquid, ipsa adprobaverit, adprobamus, quicquid rejecerit, rejicimus, ac condemnamus. Quum enim *ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse sit, omnem convenire Ecclesiam* (i) Beatissimo D. N. PIO Papae VI. idest *Cathedrae Petri communione consociari* (k) gloriantes demississima spiritus humilitate, quae ab Ipso venient, veluti prorsus divina, semper suscipiemus Oracula.

FINIS.

(g) Syn. Civit. Castelli 1766. Act. 3. c. ult. n. 3.
(h) Dict. Syn. Civit. Castelli loc. sup. cit.
(i) S. Irenae. lib. 3. contra haeres. c. 3
(k) S. Hieronym. ad Damas. Epist. 15. n. 5.

ALLOCUTIO

Habita ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino Episcopo ad Clerum Universum post Synodum.

Vos jam, quemadmodum in initio fecimus, nunc etiam in fine alloquimur, Fratres carissimi, & desideratissimi, quos Nostrum semper fore confidimus gaudium, sicut nunc estis corona Nostra (*a*). Scitis quae praecepta per Dominum Jesum dederimus vobis (*b*), nec vestram latere potest pietatem, religionemque eos, qui haec spernunt, non hominis spernere mandata, sed Dei (*c*). Maneat cuique alte repositum mente, persuasum sibi habere, non Ecclesiae, non populi, sed suis posse indulgere commoditatibus, aut summae impietatis esse, aut certe maximae inscitiae, *neque enim*, ut ait Augustinus (*d*), (*Sacerdotes*) *propter nos sumus, sed propter eos, quibus verbum, & Sacramentum Domini ministramus*. Hinc vero Constitutionum lectione audita artubus contremiscite totis plane terrificam Paulli serio perpendentes sententiam (*e*): *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati .... & gustaverunt bonum Dei verbum, & prolapsi sunt, rursus ad poenitentiam revocari*. Providete igitur non coacte, aut poenarum formidine, sed spontanee secundum Deum (*f*), ut quae in Synodalibus hisce Constitutionibus sancita sunt, sancte, exacteque custodiantur. Quid enim aut Nobis, aut Gregi Nostro contingere optabilius poterit, quam ut Ecclesiae Ministri alacri animo, & mutua inter se consensione ad illarum normam vitam, moresque componant, unde Grex totus meliora in dies, atque uberiora sumat exempla virtutum? Quid vero Vobis ipsis utilius, quam si per bona opera, quae vel agenda indicavimus, vel praescripsimus, certam vestram vocationem, & electionem faciatis (*g*)? Haec jamdiu fuere, haec Vestri Pastoris sunt vota, ea enim, quam hactenus in Constitutionum Nostrarum audistis promulgatione, cordis potius Nostri, quam

(*a*) Philipp. 4. v. 1.
(*b*) Thessalon. 4. v. 2.
(*c*) ibid. v. 8.
(*d*) D. Aug. cont. Cresco. l. 2. Cap. II.
(*e*) Hebr. cap. 6. v. 6.
(*f*) I. Petr. 5. v. 2.
(*g*) 2. Petr. 1. v. 10.

oris vox fuit. Frustra tamen oves Pastoris sui vocem audiunt, nisi illum & ingenii docilitate, & operis exhibitione sequantur (h). Haec summa est rerum, haec veluti certissima tessera, qua vos Genus electum, regale Sacerdotium, Gentemque sanctam (i) agnoscant populi, atque imitentur. *Confidimus autem de Vobis in Domino, quoniam, quae praecipimus, & facitis, & facietis* (k).

Ad vos sermonem tandem convertimus nostrum, Animarum Rectores, Cooperatores Nostri in opus Ministerii, in aedificationem Corporis Christi (l). Rogamus itaque Vos, & obsecramus in Domino Jesu (m), ut vestra conjungentes studia cum Nostris exemplo primum, tum vero opportunis consiliis, sanctisque cohortationibus Synodalium Legum observationem promovere contemini. *Quoniam vero vos estis Presbyteri in populo Dei, & a Vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite* (n), & quae audistis a Nobis, haec commendate fidelibus (o). In primis autem omnem impendite sollicitudinem, ut & vos, & illos salvos faciatis (p). *Curate vos ipsos probabiles exhibere Deo operarios inconfusibiles, recte tractantes verbum veritatis* (q). *Induite sicut electi Dei sancti, & dilecti viscera misericordiae, humilitatem, modestiam, patientiam* (r). Non auctoritate, aut imperio, sed bonis praesse operibus debent, qui credunt Deo (s). Quaerite non quae vestra sunt, sed quae Jesu Christi (t). *Idem sapite, pacem habete, perfecti estote* (u). *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in adventu Domini Nostri Jesu Christi servetur* (x). Felix interea, faustusque sit omnibus Vobis ad vestras Ecclesias reditus. Orate pro Nobis; Charitas enim nostra vobiscum in Christo Jesu erit semper (y). Gratia Pastorum Principis Salvatoris Nostri, Charitas Dei Patris, & communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus Vobis (z). Amen.

(h) Joann. 10. v. 3. 4.
(i) 1. Petr. 2. v. 9.
(k) 1. Thessalon. 3. v. 4.
(l) Ephes. 4. v. 12.
(m) 1. Thessalon. 4. v. 1.
(n) Judith. 8. v. 21.
(o) 2. Timoth. 2. v. 2.
(p) 1. Timoth. 4. v. 16.
(q) 2. Timoth. 2. v. 15.
(r) Tit. 2. v. 8.
(s) Coloss. 3. v. 12.
(t) Philipp. 2. v. 21.
(u) 2. Corinth. 13. v. 11.
(x) 1. Thessalon. 5. v. 23.
(y) 1. Corinth. 16. v. 24.
(z) 1. Corinth. 13. v. 13.

ELENCUS
OFFICIALIUM SYNODALIUM

JUDICES SYNODALES.

D. Canonicus Jacobus Druda J. U. D., S. T. L. Protonotarius Apostolicus; Vicarius Generalis.
D. Praepositus Franciscus Leonardi J. U., & S. T. D. Protonotarius Apostolicus.
D. Canonicus Theologus Angelus Bartolini S. T. L.
D. Canonicus Poenitentiarius Augustinus Figueredo J. U. D.

EXAMINATORES SYNODALES.

Ex Clero Saeculari.

D. Canonicus Jacobus Druda Vicarius Generalis J. U. D., & S. T. L.
D. Praepositus Franciscus Leonardi J. U., & S. T. D.
D. Archidiaconus Franciscus Zucchi.
D. Canonicus Antonius Ghighi.
D. Canonicus Theologus Angelus Bartolini S. T. L.
D. Canonicus Poenitentiarius Augustinus Figueredo J. U. D.
D. Canonicus Coadjutor Franciscus M. Biscioni Prot. Apostolicus.
D. Joannes M. Bani Archipresbyter Colleg. Mercatelli S. T. L., Vicarius Foraneus.
D. Joseph Santi Canonicus Colleg. Mercatelli S. T. L.
D. Nicolaus Marsili Canonicus Colleg. Mercatelli J. U. D.
D. Franciscus Benedetti Canonicus Colleg. Mercatelli, & Hum. Litt. in eo Sem. Praeceptor.
D. Joannes Baptista Fabrini Archipresbyter Colleg. Saxicorvarii J. U. D.
D. Bartholomeus Bartolomei Canonicus Theologus Colleg. Saxicorvarii S. T. L. Vicarius Foraneus.
D. Canonicus Petrus Aloysius Bajardi J. U. D. Prot. Apostol.
D. Canonicus Franciscus Stefani J. U. D.
D. Clemens Mastini J. U. D. Prot. Apostolicus.
D. Vincentius Leonardi Archipresbyter S. Vincentii ad Caudilianum.
D. Paschalis Mengacci Archipresbyter SS. Bartholomei, & Andrae in Provertio.
D. Joseph Giri Archipresbyter S. Mariae in Spinateci, Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Episcopi Theologus.
cem a latere sinistro pulvinaris ad accipiendam Oblationem, alter vero Clericus, qui habebat Missale, illud reponit super legile, vel super cussinum, & interim ab alio tertio discooperitur Crux processionalis; & aliae Cruces omnes per Ecclesiam; interim Celebrans descendens per latus Evangelii portat devote Crucem ambabus manibus elevatam ad locum praeparatum, ubi genuflexus eam collocat super Velum pulvino super positam; deinde surgit, & facta genuflexione, vadit ad planum cornu Epistolae, ibique deponit prius Manipulum, deinde Calceamenta, Clericis adjuvantibus, & ita excalceatus procedit ad adorationem Crucis; qua tertio adorata, & osculata, oblataque pecunia, surgit, & facta genuflexione, redit ad cornu Epistolae, & ibi in plano Clerici deponunt & ipsi calceamenta ob specialissimum cultum, quem hac die S. Ecclesia exhibet Cruci, & post Celebrantem ante omnes alios de Populo adorabunt Crucem eo modo, quo Celebrans, & reversi ad sua loca calceamenta resument. Post Clericos adorabunt Sodales cum Saccis, si adsint, deinde viri, ultimo mulieres, omnes bini, devote, ac graviter. Interim primus Clericus assistat adorantibus, secundus, & tertius accedunt ad Celebrantem, & alta, & clara voce cum eo improperia recitant.

Circa finem adorationis primus Clericus accendit Cereos Altaris, secundus vero successive portat ad Altare Bursam cum Corporali incluso, & super eam Purificatorium: extrahit, & explicat Corporale, & prope illud in parte Epistolae extendit Purificatorium. Tertius vero Clericus transfert Missale cum legili, & cussino ad cornu Evangelii. Completa adoratione, celebrans reportabit Crucem ad Altare cum debitis genuflexionibus; Clerici vero amovebunt tapetem, pulvinar, velum, & lancem, & apponent ignem in Thuribulo, & celebrans, collocata Cruce, descendet ad planum in cornu Epistolae, ubi resumet Planetam, & Manipulum, & postea aperto capite accedet ante Altare.

De Processione ad Sacellum, & regressu ad Altare cum Sanctissimo Sacramento.

Celebrante ante Altare commorante, incipitur Processio per breviorem viam ad Sacellum, ubi asservatur SS. Sacramentum, hoc ordine: Praecedunt Sodales, si adsint Con-

fraternitatis, sive pii viri; deinde Thuriferarius cum navicula, & Thuribulo non fumigante; postea sequitur Crux processionalis denudata, & delata a tertio Clerico inter duo Candelabra, si adsint, qui ea deferre possint; denique Celebrans cum Planeta habens ante ipsum a sinistris secundum Clericum. Interim accenduntur Cerei dicti Sacelli ab aliquo Ministro. Quum pervenerit Celebrans ad dictum Sacellum, facta genuflexione in plano Capellae, surgit, & postea genuflectit in infimo gradu Altaris, ibique orat parumper cum omnibus, deinde surgit, aperit Capsulam, genuflectit, descendit ad infimum gradum Altaris, vel remanet genuflexus in suppedaneo, ut alii volunt, incensat Sacramentum in Capsula, inde surgit, & facta genuflexione, extrahit e Capsula Calicem, quem ponit super Altare; iterum genuflectit, claudit Capsulam, si in ea reperiatur Pyxis cum Particulis, alias relinquitur Capsula aperta; & praemissa alia genuflexione, descendit primum gradum, & genuflexus in suppedaneo accipit Velum humerale, & surgit, & facta genuflexione, stans accipit Calicem, quem secundus Clericus dicto Velo cooperit. Celebrans vertens renes Altari, & faciem ad popolum intonat voce alta Hymnum *Vexilla Regis prodeunt &c.*, quem cum secundo Clerico prosequitur &c. Revertitur Processio ad Altare ordine sequenti: primo Sodales, seu pii viri cum Cereis accensis; post eos Crux processionalis, deinde Thuriferarius continue Thuribulum agitans, denique Celebrans sub Baldachino, vel sub Umbella habens secundum Clericum ante se a sinistris.

Quum perventum fuerit ad Altare majus, Sodales, & pii viri remanent extra cancellos, ibique dispositi cereos accensos usque ad Officii finem in manibus tenebunt. Crux processionalis reponitur prope Credentiam; Baldachinum vero, seu Umbella deponitur ante cancellos, & in loco proprio collocatur. Celebrans accedit ad Altare, & Calicem ponit super Corporale, soluta vitta apposita ad cautelam, & velum ejusdem Calicis extendit, ut fit in initio Missae; deinde genuflectit, surgit, Velum humerale deponit, & stans thus sine osculis, & benedictione in Thuribulo ponit, deinde genuflexus ibi in suppedaneo, vel descendens ad infimum gradum Sacramentum triplici ductu incensat adhuc parvo velo tectum.

De reliquo Officio, & Ritu hujus Feriae.

Incensato Sanctissimo Sacramento, Celebrans surgens accedit ad Altare, & genuflectit, deinde amovet Velum de Calice, postea Patenam, quam invertens ponit super Corporale in medio, postmodum removet Pallam, & Calicem accipiens deponit ex eo Hostiam super Patenam, cavens, ne illam digitis tangat, & si forte tetigerit, lavat digitos ibidem in vase ad hoc praeparato, & aquam continente (quam postea ipse Celebrans sumet post suam Communionem), & digitos statim extergit; tunc Celebrans respective prosequitur omnia, ut in Missali disponitur.

Ministrabunt etiam, si fieri potest, aliqui Sodales alicujus Confraternitatis in suo habitu, ut omnia convenientiori modo fieri valeant. Expleto Officio, Celebrans Cotta, & Stola indutus reportabit ad locum paratum Hostias, seu Particulas contentas in Pyxide pro infirmis e loco, ubi prius erat Calix cum Sanctissima Hostia, & si aliter fieri non possit relinquet ibidem.

Reposita dicta Pyxide, ante quam Lampas continuo ardeat, omnes genuflectunt, & datur signum meridianum Salutationis Angelicae cum crotalo. Tandem extinguuntur Cerei Altaris, & ab Acolythis omnia reportantur in suum locum.

PRO SABBATO SANCTO.

De principio Officii, usque ad Benedictionem Cerei.

Extra portam Clericus cum Cruce sistit se in limine portae, tenes eidem vertens, facie Crucifixi versa ad Celebrantem. Celebrans ante mensam collocatam inter ipsum, & Crucem ibidem stans ex Missali posito super legile legens benedicit ignem tribus Orationibus, deinde unica Oratione grana incensi, quae dum benedicuntur, primus Clericus accipit forcipe novum ignem benedictum, & ponit in Thuribulo.

Celebrans imponit cum benedictione, & osculis incensum in Thuribulo, deinde aspergit ignem, & grana, & eadem postea thurificat; idem Celebrans post redditum Thuribulum Thuriferario deponit Pluviale, & Stolam coloris

violacei, & accipit Manipulum, Stolamque Diaconalem, & Dalmaticam albi coloris, interim secundus Clericus cum aliquo ligno sulphurato accendit candelam de novo igne, & recondit in laterna, & alius Clericus accipit pateram cum granis incensi. Celebrans iterum ponit incensum in Thuribulo cum benedictione, & osculis, postea accipit arundinem, & proceditur ad Benedictionem Cerei ordine sequenti:

Primo Clericus cum granis incensi a dextris, & Thuriferarius a sinistris: secundo tertius Clericus cum Cruce: tertio Celebrans cum arundine, & alius Clericus cum laterna a sinistris ejus. Clerici cum granis, Thuribulo, & Cruce ingrediuntur Ecclesiam, & sistunt, quando Celebrans ingressus fuerit januam Ecclesiae. Celebrans ingressus Ecclesiam inclinat arundinem, & accensa ex candela laternae, sive ex ligno sulphurato una ex tribus Candelis arundinis per Clericum, genuflectit, genuflectentibus omnibus, excepto tantum Clerico Cruciferario, & sic genuflexus clara voce dicit *Lumen Christi*: tum surgentibus omnibus, Clerici, seu Sodales alicujus Confraternitatis, si adsint, respondent *Deo gratias*: & alia vice facit in medio Ecclesiae, ut in Missali, donec pervenerit ad Altare, ut ibi dicat tertia vice *Lumen Christi* ut supra.

De Benedictione Cerei.

His omnibus peractis, & data arundine alicui Acolytho, seu alicui Sodali, Celebrans genuflexus (accepto prius libro de manu alicujus Acolythi, seu Sodalis ut supra) ante Altare in infimo gradu, praetermisso *Munda cor meum*, dicit tantum *Jube, Domine, benedicere*, & ipsemet subdens dicit: *Dominus sit in corde meo, & in labiis meis, ut digne, & competenter annuntiem suum Paschale Praeconium.* Deinde surgit, & facta genuflexione Cruci Altaris, accedit ad legile paratum in plano Evangelii hoc ordine: Primo Thuriferarius habens a dextris quartum Clericum cum granis incensi; secundo tertius Clericus cum Cruce habens a sinistris secundum Clericum cum arundine; tertio Celebrans cum Missali.

Quum pervenerint ad legile supradicti apud illud se disponunt in recta linea, & vertent faciem, sicut Celebrans, juxta nostram sententiam, non ad partem Aquilonarem,

sed ad Meridionalem, & latera sinistra ad Altare, ut facilius Populus audire possit Praeconium Paschale.

Celebrans, posito Missali super legili, illud apertum incensat, & postea clara, & hilari voce incipit Praeconium *Exultet &c.* Ad verba *Curvat Imperia*, infigit grana incensi, prout in Missali; & ad alia verba *Rutilans ignis* accendit Cereum ex una Candelarum arundinis; ad verba *Apis mater eduxit* quiescit, donec quartus Clericus ex Cereo per candelulam in virga lampadem, vel lampades accendat. Finito Praeconio, Celebrans claudit Missale, secundus Clericus firmat arundinem in sua basi, tertius deponit Crucem a latere Epistolae, vel eam defert in Sacristiam: deinde praecedentibus Thuriferario cum Clerico de granis a sinistris, ac secundo, & tertio Clerico facta genuflexione Altari, revertitur Celebrans in Sacristiam; ibique depositis Paramentis albis, accipit manipulum, stolam, & planetam coloris violacei.

De Prophetiis.

Celebrans ita paratus, praecedentibus Clericis, procedit ad Altare, & facta Cruci genuflexione, ascendit, osculaturque illud in medio, deinde accedens in cornu Epistolae super Missali ab aliquo Acolytho eo asportato alta voce legit duodecim Prophetias, Orationes, & Tractus, genuflectens cum omnibus, dum ante Orationes, excepta ultima, dicit *Flectamus genua*, cui Clericus surgens respondet *Levate*.

Si tamen erit numerus sufficiens Acolytorum, in plano ante Altare cantare poterunt Prophetias, & tunc Celebrans eas submissa voce legit; ita etiam si erit Chorus, omnes Tractus cantabit, aliter leget idem Celebrans ut diximus.

Completa ultima Oratione, Celebrans descendit in planum, & facta genuflexione Cruci, procedit ad Scabellum, sive Credentiam, & ibi deponit Planetam, & Manipulum.

Si Ecclesia habuerit Fontem Baptismalem, Celebrans accipiet Pluviale violaceum; si autem Fontem non habet, accedit sine Casula ante Altare pro Litaniis ut infra.

De Benedictione Fontis.

Si benedicendus sit Fons Baptismalis, primus Clericus amovet Cereum accensum e Candelabro, & accedit ante Al-

tare. Tertius, Clericus accipit Crucem, & similiter venit ante Altare. Duo alii Clerici accedunt ad Celebrantem sedentem super aliquo Scabello, qui surgens incipit alta voce Tractum *Sicut Cervus &c.*, quem lente prosequitur cum suis Clericis.

Inchoato Tractu, dirigitur Processio ad Fontem, factis debitis reverentiis Altari hoc ordine. Primo Clericus cum Cereo, secundo Clericus cum Cruce, tertio Celebrans medius inter duos alios Clericos, recitans tecto capite Tractum. Quum ad fontem pervenerit, peragit omnia, & deprimendo vocem, etiam si non cantet, ut in Missali; & ipsemet asperget Populum de aqua, quam benedixit, suo tempore: & baptizat in Paramentis albis, si aliqui sunt, quos cathechizaverit ante Officium, & in Ecclesiam introduxerit.

De Litaniis, & Missa cum Vesperis.

Completa Fontis Benedictione, incipit Litanias, & revertitur ad Altare, & deposito Pluviali, procumbit ad Altare, si aliquis cantet, vel legat Litanias; si vero ipsemet recitat, tunc non prostratus, sed genuflexus manet, & eo casu non dicit in fine *Kyrie eleison*; sed discedit ad vestiendum se pro Missa celebranda in Paramentis Albis; & interim removetur Pallium Altaris violaceum, ut appareat album, quod sub ipso positum fuit, & accenduntur Candelae. Ponitur etiam ab aliquo Acolytho Calix super Altare, & praeparatur Missale super cussino albo; deinde Celebrans indutus Paramentis Albis revertitur ad Altare (Clerico praecedente), ante cujus gradus facit Confessionem de more cum Psalmo *Judica me Deus &c.*. Si adsint aliqui Clerici cantores, sive Laici, qui sciant cantare, poterunt cantare *Kyrie eleison* (licet reliquum Officium sine cantu celebratum fuerit); sin autem non adsit Chorus, ipse Celebrans juxta morem facta Confessione, ascendit ad Altare, & in ejus medio post Orationem *Aufer a nobis* dicit immediate *Kyrie eleison*, ut alias quum non legatur Introitus. Si haec Missa, ut dixi, celebratur cum cantu Chori, fieri poterit in ea thurificatio Altaris, etiam si celebretur sine ministris sacris. Finita autem tali incensatione, Celebrans dicit *Kyrie* in cornu Epistolae, & deinde rediens ad medium Altaris cantat, vel dicit *Gloria in excelsis*, & pulsantur Campanae.

Post Epistolam Celebrans dicit ter *Alleluja* elevando

gradatim vocem, & Clerici post quamlibet vicem in eodem tono repetent illud, & Celebrans prosequitur ℣., & *Tractum*. Reliqua omittit, vel dicit, prout in Missali. Loco Antiphonae *Communio* dicuntur Vesperae, ut in Missali; videlicet Celebrans in Cornu Epistolae dicit Antiphonam *Alleluja &c.* cum Clericis prosequitur Psalmum *Laudate &c.*, & in fine repetitur *Alleluja &c.*, deinde subdet Antiphonam *Vespere autem Sabbati &c.* cum Cantico *Magnificat*.

Si Missa sit in cantu, ut supra, incensare poterit Oblata, & Altare, quod etiam incensabit ad praedictum Canticum *Magnificat*.

Finita Missa, Celebrans, praecedente Ministro deferente Missale, redit Sacristiam de more, minutiores Ritus, & Caeremonias hic omisimus.

Tandem Celebrans, vel alius Sacerdos paratus Cotta, & Stola alba, ac Velo humerali reponit Sanctissimum Sacramentum, Clericis, vel aliis faces deferentibus, in Tabernaculo solito.

Num. XVIII.

SESS. III. TIT. X.

Istruzione per gli Ordinandi.

Requisiti, dei quali dovrà esser fornito chiunque vorrà essere ammesso all'Esame per essere ordinato.

Per la Prima Tonsura.

1. La Fede del Battesimo.

2. La Fede de' buoni costumi, e specialmente che abbia sempre rispettati i genitori, e che abbia frequentata la Dottrina Cristiana, ed i Sagramenti.

3. La Fede della frequenza della Scuola, e dell'applicazione allo studio.

4. La Fede della Cresima.

5. La Fede di non essere mai stato nè inquisito, nè processato.

Per gli Ordini Minori.

1. La Fede del continuo servigio prestato alla Chiesa, a cui è ascritto, non meno nel servire alle Messe, ma

anche nell'intervenire sempre al Coro con Veste lunga, Cotta, e Beretta, come pure alle Messe Cantate, Vesperi, Prediche, Processioni, e specialmente all'accompagnamento del Santissimo Sagramento, che si porta agli Infermi.

2. La Fede di essere sempre intervenuto alla Dottrina Cristiana, di averla per commissione del Paroco insegnata a' Fanciulli, e di aver sempre vestito l'Abito Ecclesiastico di color nero colla Tonsura.

3. La Fede de' buoni costumi, nella quale sia precisamente espresso, che abbia sempre rispettati i proprj Maggiori, e tutti quelli di ordine Superiore; e che abbia frequentati i SS̄mi Sagramenti almeno ogni quindici giorni.

4. La Fede della frequenza alla Scuola, e dell'applicazione, e profitto nello studio.

5. La Fede di non avere mai lasciata la Scuola del Canto fermo, e di applicarvi con profitto.

6. La testimoniale della Tonsura, o dell'antecedente Ordine ricevuto.

Per il Sagro Ordine del Suddiaconato.

1. La Fede del Battesimo.

2. La Fede del frequente, e divoto Esercizio degli Ordini antecedenti.

3. La Testimoniale dell'Acolitato ricevuto.

4. La Fede d'avere incominciato lo studio della Teologìa o Dogmatica, o Morale, e del profitto in essa fatto.

5. Le Fedi tutte segnate num. 1. 2. 3. 4. 5. nell'antecedente Paragrafo.

Per i Sagri Ordini del Diaconato, e Presbiterato.

1. La Fede del Battesimo.

2. La Fede dell'Esercizio dell'Ordine ricevuto.

3. La Testimoniale dell'Ordine istesso.

4. La Fede di essersi confessato, e comunicato in tutti i giorni festivi, e specialmente nei giorni, ne' quali ha ministrato all' Altare, esercitando l' Ordine del Suddiaconato, o del Diaconato.

5. La Fede di aver assiduamente frequentato con applicazione, e profitto la Scuola di Teologìa o Dogmatica, o Morale.

6. La Fede di non avere mai mancato alle Conferenze de' Casi di Coscienza.

7. Le Fedi tutte come sopra ricercate pel Suddiaconato, ed espresse nel §. degli Ordini Minori num. 1. 2. 3., e 5.

Si avverte, che ciascuno dovrà essere esaminato non solo su quanto concerne l'Ordine, che domanderà, ma anche sulla scienza, che studia; ed insieme su i sagri Riti appartenenti all'Ordine medesimo.

Num, XIX.

SESS. III. TIT. XIII.

Formula juramenti emittendi a Parochis, aliisque Beneficiariis in eorum possessione.

Ego N. provisus de Ecclesia N., *seu* de Beneficio N. juro, me futurum fidelem, & obedientem Sanctae Matri Ecclesiae Catholicae Romanae, & Illmo, & Rmo Dño Dño Paullo Antonio Agostini Zamperoli Episcopo meo, ejusque Successoribus (neque me de bonis Ecclesiae praedictae, seu Beneficii praedicti, vel de ejus fructibus pacta aliqua illicita cum ullo prorsus inivisse) . Juro item de bonis ejusdem Ecclesiae, seu Beneficii tam mobilibus, quam immobilibus inventarium, quam primum potero, facturum, ac intra sex menses Episcopali Cancellariae exhibiturum; possessiones, & bona ad ipsam Ecclesiam, *seu* Beneficium pertinentes, vel pertinentia non venditurum, donaturum, oppignoraturum, aut alio quovis modo contra juris dispositionem alienaturum, imo alienata, & distracta, quantum in me erit, recuperaturum, ac jura illius semper defensurum. Sic me Deus adjuvet, & haec Sancta Dei Evangelia.

Si Beneficium erit Residentiale ante Parenthesim dicatur:

Nec animo dimittendi accepisse, sed per me eidem deserviturum, & continuam apud illud residentiam facturum, ejusque onera impleturum.

Si autem provisio facta fuerit vigòre praesentationis, Parenthesi omissa, dicatur:

Neque innominatione, & praesentatione de me facta per N. Patronum intervenisse pactum aliquod, nec expressum, nec tacitum, aut aliquam vel minimam Simoniae labem.

Formula juramenti emittendi ab Examinatoribus Synodalibus.

Ego N. electus Examinator Synodalis juro ad Sancta Dei Evangelia, me, quacumque humana affectione postposita, fideliter delatum mihi munus executurum. Sic me Deus adjuvet, & haec Sancta Dei Evangelia.

Num. XX.

SESS. III. TIT. XVII.

Decreta Congregationis Sacrorum Rituum circa Jura Parochialia, Functiones, & Praeeminentias inter Parochos, & Confraternitates Laicorum, eorumque Capellanos, & Officiales.

URBIS, ET ORBIS.

Ad debitum imponendum finem controversiis, quae inter Parochos, & Confraternitates Sieculares, earumque Capellanos, & Officiales super Juribus Parochialibus & Functionibus Ecclesiasticis, non nullisque praeeminentiis, seu praerogativis frequenter exoriri solent, in Sacrorum Rituum Congregatione ab Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Cardinali Colloredo propositis infrascriptis Dubiis, videlicet:

I. An Confraternitates Laicorum legitime erectae in Ecclesiis Parochialibus, habeant dependentiam a Parocho in explendis functionibus Ecclesiasticis non Parochialibus?

II. An dictae Confraternitates erectae in Capellis, vel Oratoriis tum publicis, tum privatis, annexis Parochialibus Ecclesiis, & ab eis dependentibus, habeant dictam dependentiam a Parocho, quoad dictas functiones?

III. An Confraternitates erectae in aliis Ecclesiis publicis habeant, quoad easdem functiones, aliquam dependentiam a Parocho intra cujus Parochiae limites sitae sunt Ecclesiae?

IV. An Confraternitates erectae in Oratoriis, tum publicis, tum privatis, sejunctis ab Ecclesiis Parochialibus, quoad dictas functiones Ecclesiasticas, habeant dictam dependentiam a Parocho?

V. An Benedictiones, & distributiones Candelarum, Cinerum, & Palmarum sint de juribus mere Parochialibus?

VI. An Benedictiones mulierum post partum, Fontis Baptismalis, Ignis Seminis, Ovorum, & similium sint de Juribus mere Parochialibus?

VII. An Functiones omnes Hebdomadae Sanctae sint de Juribus mere Parochialibus?

VIII. An Celebratio Missae Solemnis feria quinta in Coena Domini sit de dictis Juribus Parochialibus?

IX. An prima pulsatio Campanarum in Sabbato Sancto sit de dictis Juribus Parochialibus?

X. An Celebratio Missarum Solemnium per annum sive pro vivis, sive pro defunctis, sit de dictis Juribus Parochialibus?

XI. An expositio Quadraginta horarum, & Benedictio, quae fit super Populo sit de dictis Juribus mere Parochialibus?

XII. An expositio, quae fit cum Reliquiis, vel sacris Imaginibus, & benedictio, quae cum eis fit super Populo, sit de dictis Juribus Parochialibus?

XIII. An functiones in praecedentibus octo dubiis, videlicet a dubio quinto ad duodecimum expressae peragi possint in Oratoriis privatis, contradicente Parocho?

XIV. An in dictis Oratoriis privatis Confraternitatum per Confratres statutis horis recitari possint Horae Canonicae cum cantu, vel sine alia licentia Parochi?

XV. An in dictis Oratoriis privatis sit licita celebratio Missae privatae, assentiente Ordinario Loci, & contradicente Parocho?

XVI. An Capellani Confraternitatum possint Populo denunciare festivitates, & vigilias occurrentes in Hebdomada, absque licentia Parochi?

XVII. An Parochus, invitis Confratribus, docere possit Doctrinam Christianam in praedictis Ecclesiis, & Oratoriis publicis, vel privatis, a Parochiali divisis, & separatis?

XVIII. An in saepedictis Ecclesiis publicis Confraternitatum possint haberi publicae conciones, etiam per totum cursum Quadragesimae, vel Adventus, cum licentia Ordinarii, & absque licentia Parochi?

XIX. An in eisdem Ecclesiis possit celebrari Missa,

sive lecta, si cantata,' ante Missam Parochialem, sive lectam, sive cantatam?

XX. An ad Parochum spectet facere officium funebre super Cadaveribus sepeliendis in saepedictis Ecclesiis, & Oratoriis publicis Confraternitatum?

XXI. An intra ambitum earundem Ecclesiarum fieri possint Processiones, juxta cujusque Confraternitatis institutum, absque interventu, vel licentia Parochi?

XXII. An eaedem Processiones fieri possint extra ambitum dictarum Ecclesiarum absque licentia illorum Parochorum, per quorum territorium transeundum est?

XXIII. An in dictis Processionibus Capellani Confraternitatum possint deferre Stolam?

XXIV. An Episcopo accedenti ad Ecclesias publicas Confraternitatum, quae non sint Regularium, neque proprium Rectorem Beneficiatum habeant porrigendum sit Aspersorium a Parocho, in cujus Territorio sunt sitae dictae Ecclesiae?

XXV. An earumdem Ecclesiarum, & Confraternitatum Rectores, & Capellanos possit Parochus, cessante alio speciali, ac legitimo titulo, & ex solo jure Parochialitatis compellere invitos ad assistendum functionibus Ecclesiae Parochialis.

XXVI. An in saepe dictis Ecclesiis Confraternitatum neque Parochialibus, neque Regularibus retineri possit Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sine speciali Indulto Sedis Apostolicae?

XXVII. Praesuposita facultate retinendi, an possit intra Annum publice exponi sine licentia Ordinarii?

XXVIII. An possit Parochus se ingerere in administratione oblationum, vel Eleemosynarum in saepedictis Ecclesiis recollectarum, vel capsulae pro illis recipiendis expositae clavem retinere?

XXIX. An in Ecclesia Parochiali Confratres, vel eorum Capellani immiscere se valeant, invito Parocho, in ejusdem Ecclesiae functionibus, sive Parochialibus, sive non Parochialibus?

XXX. An Confraternitates, sive sint erectae in Ecclesia Parochiali, sive extra illam possint pro libito, & juxta uniuscujusque peculiaria statuta Congregationes suas

facere absque interventu, vel licentia Parochi?

XXXI. An possint propria bona administrare, ac de illis disponere absque ulla dependentia a Parocho?

XXXII. Quando Parochus eisdem Congregationibus intersit de mandato Ordinarii, & tanquam ejus Delegatus, an possit suffragium decisivum ferre? & quatenus affirmative?

XXXIII. An etiam suffragium duplex?

Sacra eadem Rituum Congregatio, re mature discussa, respondendum esse censuit.

Ad primum affirmative.

Ad secundum affirmative.

Ad tertium negative.

Ad quartum negative.

Ad quintum negative.

Ad sextum negative; sed Benedictiones Mulierum, & Fontis Baptismalis fieri debent a Parochis.

Ad septimum negative prout jacet.

Ad Octavum negative prout jacet; sed spectare ad Parochos.

Ad nonum negative prout jacet; sed spectare ad Ecclesiam digniorem, ad formam Constitutionis Leonis X. l. 22. §. 14.

Ad decimum negative prout jacet; sed licere Confratribus dumtaxat in festivitatibus solemnioribus ejusdem Ecclesiae, vel Oratorii, ut in Brundusina sub die prima Junii 1601.

Ad undecimum negative.

Ad duodecimum negative; & quoad Benedictiones cum Reliquiis, & Imaginibus, serventur Decreta.

Ad decimum tertium, satis provisum in Superioribus.

Ad decimum quartum affirmative; nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa.

Ad decimum quintum affirmative.

Ad decimum sextum affirmative.

Ad decimum septimum negative.

Ad decimum octavum negative.

Ad decimum nonum negative; nisi aliter Episcopus disponat.

Ad vigesimum affirmative, quando tumulandus est subjectus Parocho, intra cujus fines est Ecclesia, vel Oratorium.

Ad vigesimum primum affirmative.

Ad vigesimum secundum negative; nisi adesset licentia Episcopi.

Ad vigesimum tertium negative, extra propriam Ecclesiam.

Ad vigesimum quartum negative.

Ad vigesimum quintum negative.

Ad vigesimum sextum negative.

Ad vigesimum septimum negative.

Ad vigesimum octavum negative.

Ad vigesimum nonum negative.

Ad trigesimum affirmative, dummodo non impediant Functiones, & Divina Officia.

Ad trigesimum primum affirmative.

Ad trigesimum secundum negative.

Ad trigesimum tertium negative.

Et ita, salvis tamen conventionibus, & pactis in erectione Confraternitatum forsan factis, concordiis inter Partes initis, & a Sancta Sede approbatis, Indultis, costitutionibus Synodalibus, ac Provincialibus, & consuetudinibus immemorabilibus, vel saltem centenariis, declaravit, ac decrevit, si Sanctissimo Domino Nostro videbitur.

Die 10. *Decembris* 1703.

Et facta deinde per me Secretarium de praedictis Decretis Sanctissimo Domino Nostro relatione, praevia eorumdem integra lectura, Sanctitas Sua laudavit, benigneque approbavit, & publicari, & non obstantibus quibuscumque aliis in contrarium facientibus, servari mandavit.

Die 12. Mensis Jannuarii 1704.

G. Cardinalis Carpineus.

Loco ✠ Sigilli.

B. Inghirami S. R. C. Secret.

Num. XXI.

SESS. III. TIT. XIX.

CATALOGO DELLE SCRITTURE

Che devonsi conservare negli Archivj delle Curie Vescovili.

§. I.

Delle Scritture in ordine alle persone Ecclesiastiche.

1 Tutte le Scritture, o Atti intorno a Canonizzazioni de' Servi di Dio, così Ecclesiastici, come Secolari.

2. Le Scritture delle Ordinazioni degli Ordini, così maggiori, come minori, a qualunque persona.

3. Le Scritture delle Collazioni, o instituzioni de' Benefizj, de' Concorsi fatti, delle Rinunzie, o Permutazioni seguìte, e di tutte le altre Scritture Benefiziali.

4. Le Scritture su la professione della S. Fede de' Benefiziati, o altri.

5. Tutti gli strumenti delle possessioni date a Benefiziati di qualunque ordine, o grado, ed in qualunque modo.

6. Registro delle approvazioni de' Confessori, o Curati.

7. Delle licenze date a Parochi, a Canonici, Preti, o Cherici di poter partire dalla Diocesi con lettere testimoniali.

8. Delle Dimissorie, o Lettere commendatizie.

9. Delle licenze date per andare a parlare, o entrar ne' Monasteri di Monache.

10. Tutte le Scritture dell' esplorazioni delle volontà per le Novizie; gli Strumenti di dote delle Monache, e delle licenze loro date per poter fare la professione, ed altro attenente alle Monache.

11. Tutti i Decreti, ed interposizioni di autorità per le rinunzie, che fanno i Novizj, e le Novizie.

12. Tutti i Precetti, o Decreti di qualsivoglia maniera, fatti a persone Ecclesiatiche, o a persone Secolari in cause spirituali, o spettanti al foro Ecclesiastico.

§. II.

Delle Scritture in ordine a Luoghi Sagri, o Ecclesiastici.

1. Tutti gli Statuti, Regole, ed Ordinazioni di qualunque Chiesa, Capitoli, e Collegj nella Città, e Diocesi.

2. Gli Atti, e le Scritture concernenti fondazioni di Chiese, Luoghi Pii, Altari, e gli Strumenti di tali fondazioni.

3. Tutte le Scritture, e Strumenti delle consagrazioni delle medesime Chiese, degli Altari, de' Cimitej, e delle benedizioni delle Campane, registrati in Tomo a parte.

4. Tutti gli Atti delle visite delle Chiese, Monasterj, o altri Luoghi pii, insieme con tutti i Decreti fatti in tali Visite.

5. Tutte le Relazioni, e Scritture appartenenti alle Visite de' sagri Limini.

§. III.

Delle Scritture in ordine a cose Sagre, o Ecclesiastiche.

1. Tutte le Scritture per le erezioni di Fonti battesimali, e delle fondazioni, unioni, o soppressioni di Parocchie, Benefizj, o Cappellanie.

2. Tutte le Scritture spettanti a' Sagri Seminarj.

3. Gli Atti di tutti i Sinodi sì Diocesani, come Provinciali.

4. Tutte le Scritture concernenti dinunzie matrimoniali, e gli Atti degli Statuti liberi.

5. Tutte le Scritture concernenti materie di divorzj, o di altre cause matrimoniali.

6. Tutte le Scritture concernenti l'esecuzioni delle dispense matrimoniali, ed altre Lettere Apostoliche.

7. Tutti i Registri delle Bolle ordinarie, ed anche delle Apostoliche, dirizzate alla Corte Vescovile.

8. I Decreti interposti nelle Cause di alienazione, che si fanno de' beni Ecclesiastici o con autorità ordinaria, o Apostolica.

9. Tutti gli Atti, e Scritture, appartenenti a materie del S. Offizio, che devono conservarsi in Armario a parte, chiuso a chiave.

§. IV.

Delle altre Scritture in Cause Civili, e Criminali.

1. Tutte le Lettere monitoriali *ad finem revelationis*.
2. Tutte le Platee, ed Inventarj de' beni stabili, mobili, semoventi ec. di tutte le Chiese, e di tutti i Luoghi Pii della Città, e della Diocesi.

3. Tutti i Mandati di Procura per li negozj della Mensa Vescovile, e gli Strumenti spettanti alla dote, o a' beni della medesima.

4. Tutte le Scritture di Enfiteosi, Locazioni, e conduzioni de' beni della Mensa Vescovile.

5. Così anche degli altri Benefizj, Chiese, e Luoghi pii.

6. Tutti gli Editti fatti in qualunque modo, ed in qualsisia materia, col registro di essi in libro.

7. Tutti i Processi, ed Atti Civili, Criminali, e Misti del Foro Vescovile.

8. Registri delle Sentenze fatte nelle suddette Cause, e le Composizioni seguìte con i Rei, ed Inquisiti nella Corte Vescovile.

9. Registri delle multe, e pene.

10. Registro delle Suppliche, ed Assoluzioni di qualunque Inquisito.

Num. XXII.

SESS. III. TIT. XXI.

Formula juramenti emittendi ab Examinatoribus Synodalibus.

Ego N. Examinatoris officium, quod suscipio, spondeo, voveo, ac juro, me quacumque humana affectione postposita fideliter, ac sincere, quantum in me erit, exequuturum. Sic me Deus adjuvet, & haec Sancta Dei Evangelia.

COMPENDIO
DELLA DOTTRINA CRISTIANA.

D. Chi v'ha creato, e messo al mondo?
R. E' stato Iddio.

D. Chi è Iddio?

R. E' il Creatore, e Signore del Cielo, e della Terra.

D. Per qual fine vi ha creato?

R. Per conoscerlo, amarlo, e servirlo in questa Vita, e goderlo nella Celeste Patria.

D. Dove è Dio?

R. E' in Cielo, in Terra, e in ogni luogo.

D. E' un solo Dio, o più Dei?

R. E' un solo Dio, ma in tre Persone distinte, che si domandano Padre, Figliuolo, e Spirito Santo, dette la SSma Trinità.

D. Queste tre Persone sono tre Dei?

R. Nò: ma un Dio solo, perchè tutte tre hanno una medesima essenza, e sostanza Divina.

D. Di queste tre Persone quale è maggiore, più potente, ec.?

R. Sono uguali in tutte le perfezioni.

D. Quale delle tre persone si è fatto Uomo?

R. La seconda, cioè il Figliuolo.

D. Come ha fatto per farsi Uomo?

R. Ha preso un Corpo, ed un' Anima, come abbiamo noi, nelle Viscere di Maria Vergine per opera dello Spirito Santo.

D. Come si chiama il Figliuolo di Dio fatto Uomo?

R. Gesù Cristo Redentor nostro vero Dio, e vero Uomo.

D. Per qual fine si è fatto Uomo?

R. Per liberarci colla sua morte dalla perdizione, e meritarci la Vita Eterna.

D. Dov' è Gesù Cristo?

R. Come Dio è in ogni luogo, e come Uomo sta in Cielo, e nel SSmo Sagramento.

D. Che cosa v' è nel SSmo Sagramento?

R. Vi è il Corpo, il Sangue, l' Anima, e la Divinità di Gesù Cristo sotto specie di Pane, e di Vino.

D. Che cosa s' intende per le specie di Pane?

R. Quello, che si vede, e si sente, ch'è il colore, il sapore, e la quantità.

D. Nell'Ostia consecrata non v'è anche colle specie la sostanza del Pane?

R. Nò, perchè tutta è mutata, e transustanziata nel Corpo di Gesu Cristo per le parole della Consagrazione.

D. Rompendosi l'Ostia, si rompe anche il Corpo di Cristo?

R. Nò, ma solo si rompono le specie, o accidenti del pane.

D. Se non si rompe il Corpo, in qual parte resta dell' Ostia?

R. Resta intero in qualsivoglia parte di essa.

D. Che si ha da fare per comunicarsi degnamente?

R. Esser affatto digiuno dalla mezza notte antecedente, confessarsi, se sia in peccato mortale, e far atti di Fede, Speranza, Umiltà, e Amore verso il SSmo Sagramento.

D. Quante cose ci vogliono per fare una buona Confessione?

R. Primo bisogna esaminar bene la sua coscienza. 2. Avere gran dolore di aver offeso Dio. 3. Far proponimento fermo di non offenderlo mai più per l'avvenire. 4. Dichiarare tutti i suoi peccati al Confessore. 5. Far la Penitenza, che sarà imposta.

D. Di quante sorte è il dolore?

R. Di due sorte: perfetto, che si chiama la Contrizione, ed imperfetto, che si chiama l'Attrizione.

D. Qual è il dolore perfetto, che si chiama Contrizione?

R. E' un dolore d'aver offeso Dio, come sommo bene.

D. Qual è il dolore imperfetto?

R. E' un dolore d'aver offeso Dio, come sommo Giudice, e di aver meritato l'Inferno.

D. Fatemi un atto di Contrizione.

R. Signor mio Gesù Cristo io mi pento, e mi dolgo con tutto il cuore d'avervi offeso, nè solo mi pento per l'Inferno, che ho meritato, o pel Paradiso, che ho perduto, ma molto più mi pento, perchè peccando ho offeso un Dio così buono, e così grande, come siete voi. Vorrei prima esser morto, che avervi offeso, e per l'avvenire voglio prima morire, che più peccare.

D. Chi si confessasse senza pentimento, o tacesse per vergogna un peccato mortale, che male farebbe?

R. Un gran Sagrilegio, quale se poi non confessasse, e non rifacesse anche quella Confessione, andrebbe all'Inferno.

D. Chi sono quelli che vanno all'Inferno?

R. Tutti quelli, che muojono in peccato mortale.

D. Che si fa nell'Inferno?

R. Vi si patiscono tormenti orribili, e si brucia eternamente nel fuoco co' Demonj oltre alla privazione della visione divina, che è il maggior male.

D. Chi sono quelli, che vanno in Paradiso.

R. Quei, che muojono in grazia di Dio, e non hanno cosa da purgare prima per qualche tempo nel fuoco del Purgatorio.

D. Che si fa in Paradiso?

R. Vi si gode Dio in compagnia degli Angeli, e Santi per tutta l' Eternità.

D. Che cosa dee credere il Cristiano per andare in Paradiso?

R. Tutto quello, che crede la S. Chiesa Cattolica, e Romana.

D. Che cosa è obbligato a sapere?

R. Quello, che si contiene nel Credo, i Misterj principali della nostra S. Fede, con gli atti di fede, speranza, e carità, i Comandamenti di Dio, e della S. Chiesa, il Pater Noster, e l'Ave Maria, il Sacrifizio della S. Messa, i Santi Sacramenti, principalmente quelli, che ciascuno è in istato di ricevere, l'invocazione de' Santi, il culto delle Reliquie e Sante Imagini, l'esistenza del Purgatorio, con l'utilità de' suffragj per i defonti, l'opere di misericordia, gli obblighi del proprio stato, e quelle cose di Religione, che comune si sanno, e si praticano dai Fedeli.

D. Dite dunque il Pater Noster, l'Ave Maria, ed il Credo.

R. Primo: Padre Nostro, che sei ne' Cieli. 2. Sia santificato il Nome tuo. 3. Venga il Regno tuo. 4. Sia fatta la volontà tua, come in Cielo, così in terra. 5. Dacci oggi il nostro Pane quotidiano. 6. E rimetti a noi i nostri debiti, siccome noi li rimettiamo a' nostri Debitori. 7. E non c' indurre in tentazione; 8. Ma liberaci dal male. Amen.

Dio ti salvi Maria, piena di grazia, il Signore è teco, tu sei benedetta fra le Donne, e benedetto il frutto del tuo Ventre Gesù. Santa Maria Madre di Dio prega per Noi peccatori, adesso, e nell' ora della morte nostra. Amen.

Primo. Io credo in Dio Padre Onnipotente Creatore del Cielo, e della Terra. 2. Ed in Gesu Cristo suo Figliuolo unico Signor Nostro. 3. Il quale fu conceputo di Spirito Santo, nacque di Maria Vergine. 4. Patì sotto Ponzio Pilato, fu crocifisso, morto, e seppellito. 5. Discese all'Inferno, ed il terzo dì risuscitò da morte. 6. Salì al Cielo, siede alla destra di Dio Padre Onnipotente. 7. Di là ha da venire a giudicare i Vivi, ed i Morti. 8. Credo nello Spirito Santo. 9. La Santa Chiesa Cattolica, la Comunione de' Santi. 10. La Remissione de' peccati. 11. La Risurrezione della carne. 12. La Vita eterna. Amen.

D. Che cosa si è obbligato a fare per salvarsi?

R. Osservare i Comandamenti di Dio, e della Chiesa, e praticare i doveri del proprio stato.

D. Quali, e quanti sono i comandamenti di Dio?

R. Sono dieci. 1. Amare un solo Dio sopra ogni cosa. 2. Non nominare il Nome di Dio in vano. 3. Ricordati di santificar le Feste. 4. Onora il Padre, e la Madre. 5. Non ammazzare. 6. Non fornicare. 7. Non rubbare. 8. Non dir falso Testimonio. 9. Non desiderare la Donna d'altri. 10. Non desiderare la roba d'altri.

D. Quanti, e quali sono i Comandamenti della S. Chiesa?

R. 1. Udir la Messa tutte le Domeniche, e le Feste comandate. 2. Digiunare la Quaresima, ed altri giorni comandati, e i quattro tempi, e non mangiar carne il Venerdì, e il Sabbato. 3. Confessarsi almeno una volta l'anno. 4. Comunicarsi almeno la Pasqua di Resurrezione. 5. Non celebrar le nozze ne' tempi proibiti, cioè dalla prima Domenica dell'Avvento, sino all'Epifanìa, e dal primo giorno di Quaresima sino all'Ottava di Pasqua. 6. Pagar le decime.

D. Quanti sono i Sagramenti, e quali effetti producono?

R. Sono sette: 1. Battesimo, che ci fa Cristiani, e figliuoli di Dio. 2. Cresima, che ci dà grazia, per diventare perfetti Cristiani. 3. Eucaristìa, che nutrisce l'Anima, e la conserva nella grazia di Diò. 4. La Penitenza, che cancella i peccati. 5. L'Olio Santo, che ci dà ajuto per ben morire, e spesso conferisce alla salute del Corpo, se è espediente per la salute dell'Anima. 6. L'Ordine Sagro, che dà potestà di esercitare le Sagre Funzioni. 7. Il Matrimonio,

che dà grazia di allevare cristianamente i Figliuoli, e vivere in pace, e carità tra Conjugati.

D. Quante sono le virtù Teologali?

R. 1. La Fede, la quale fa, che noi crediamo tutto quello, che Dio ha rivelato alla Santa Chiesa.

2. La Speranza, la quale fa, che Noi mettiamo tutta la nostra fiducia in Dio, e in lui speriamo la vita eterna, mediante la grazia del medesimo Dio, e delle nostre buone opere fatte col ajuto della di lui grazia.

3. La Carità, la quale fa, che Noi amiamo Dio sopra ogni cosa, ed il Prossimo, come Noi medesimi.

ATTI DELLE SUDDETTE VIRTU'.

Atto di Fede.

Io credo fermamente, perchè ha così Dio rivelato alla Santa Chiesa, che vi è un solo Dio in tre persone uguali, che si chiamano Padre, Figliuolo, e Spirito Santo. E il Figliuolo si fece Uomo, e morì per Noi in Croce; risuscitò, e salì al Cielo, di dove ha da tornare alla fine del Mondo a giudicarci tutti, per dare a buoni per sempre il Paradiso, e a cattivi le pene eterne dell'Inferno.

Atto di Speranza.

Io spero, mio Dio, dalla vostra infinita misericordia, perchè voi lo avete promesso, il perdono de' miei peccati, la vostra grazia in questa vita, e la gloria eterna nell'altra pe' meriti di Gesù, e per mezzo delle opere buone, che confido di fare coll'ajuto vostro.

Atto di Carità.

Dio mio, perchè siete sommo bene v'amo sopra tutte le cose, e piuttosto che offendervi, sono disposto a perdere ogn'altra cosa del Mondo, e la vita medesima.

D. Quali sono le virtù Cardinali?

R. 1. La Prudenza, la quale ci fa considerati, e cauti in ogni cosa, acciocchè non siamo ingannati, nè inganniamo gli altri. 2. La Giustizia fa, che rendiamo ad altri quello, che è suo. 3. La Temperanza fa, che mettiamo freno a desiderj disordinati. 4. La Fortezza fa, che non temiamo alcun pericolo, nè pure l'istessa morte per servizio di Dio.

D. Quanti sono i Doni dello Spirito Santo?

R. Sette. 1. Sapienza. 2. Intelletto. 3. Consiglio. 4. Fortezza. 5. Scienza. 6. Pietà. 7. Timor di Dio.

D. Quante sono le opere della Misericordia, delle quali ci sarà dimandato in particolare nel giorno del Giudizio?

R. Sono sette: 1. Dar da mangiare agli affamati. 2. Dar da bere agli Assetati. 3. Vestire gl'ignudi. 4. Alloggiare i Pellegrini. 5. Visitar gl' Infermi. 6. Visitar i Carcerati. 7. Seppellire i Morti.

D. Queste sono le Opere di Misericordia Corporali. Sonovi altre di Misericordia Spirituale?

R. Ve ne sono altre sette, cioè 1. Consigliare i Dubbiosi 2. Insegnare agl'Ignoranti. 3. Ammonire i Peccatori. 4. Consolar gli Afflitti. 5. Perdonare le Offese. 6. Sopportar pazientemente le persone moleste. 7. Pregare Iddio per i Vivi, e per i Morti.

D. Quanti, e quali sono i Vizi capitali, e come fonti di tutti i peccati?

R. Sette, ed a tutti opposte le Virtù contrarie.

1. Superbia, alla quale è contraria l'Umiltá.
2. Avarizia, alla quale è contraria la Liberalità.
3. Lussuria, alla quale è opposta la Castitá.
4. Ira, alla quale è opposta la Pazienza.
5. Gola, alla quale è o posta l'Astinenza.
6. Invidia, alla quale è opposto l'amor Fraterno.
7. Accidia, alla quale è opposta la Diligenza.

D. Quanti sono i peccati contro lo Spirito Santo?

R. Sei. 1. Disperazione della salute.

2. Presunzione di salvarsi senza merito.
3. Impugnare la Verità conosciuta.
4. Invidia delle grazie altrui.
5. Ostinazione ne' peccati.
6. Impenitenza finale.

D. Quanti sono i peccati, che gridono vendetta nel cospetto di Dio?

R. Sono quattro. 1. Omicidio volontario.

2. Peccato carnale contro natura.
3. Oppressione de' Poveri.
4. Defraudare la Mercede agli Operarj.

D. Quante sono le cose ultime dell'Uomo, le quali la Scrit-

tura chiama Novissime, che considerandole bene, ci fanno astenere da' peccati?

R. Sono quattro.

1. La Morte.
2. Il Giudizio.
3. L'Inferno.
4. Il Paradiso.

F I N I S.



INDEX GENERALIS

Locupletissimus rerum notabilium, quae in I. II. & III. Sessione hujus Dioecesanae Synodi continentur.



C

D

E

